De Pluti Aristophaneae aetate interpretes antiqui quid iudicaverint

Dissertatio inauguralis
quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine Lipsiensi rite impetrandos

scripsit

Walther Laible
Karlshuldanus

Lipsiae
Dörffling & Franke
MCMIX

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione
Lipsius et Bethe

Procancellario
Köster

Lipsiae d. II. m. Nov. a. MCMVIII

Parentibus Carissimis

Argumenti tabula.

Ante hos triginta annos Ud. de Wilamowitz in dissertatione indici Gryphiswaldensi sem. hiem. anni 1877/8 (cf. Euripidis Herc. I[1], 155) praefixa, quae inscribitur „de Rhesi scholiis“ demonstravit in fontium Rhesi scholiorum codicis Vaticani 909 numero commentarium fuisse, cuius auctor illam fabulam ab impetu alterius cuiusdam interpretis defenderet, qui Rhesum ab Euripide abiudicaverat maxime rebus mythicis et elocutione Euripidea nisus. Commentarii igitur illius auctor Rhesum Euripidis genuinam fabulam esse demonstrare studebat. Vestigia quamquam non ita multa supersunt, tamen controversia illa qualis fuerit, vel hodie perspicere licet. Cuius admodum similis ea videtur esse, quae in nonnullis scholiis Pluti Aristophaneae latet. Hanc enim fabulam anno archontis Antipatri 389/8 actam esse in hypothesi IV[1]) (ed. Mein.) legitur, necnon omnes irrisiones iocique hoc tempus ostendunt[2]). In scholiis illius aetatis ratio habetur; velut ad v. 173 τὸ δ'ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος (i. e. Plutus) τρέφει; in V Ald. legitur hoc scholium adscriptum (333 b 37 Dr.): μετὰ τὸν πόλεμον τὸν Πελοποννησιακὸν καὶ αὐτοὶ οἱ σύμμαχοι τῶν Λακεδαιμονίων συνεκρότησαν πόλεμον κατ' αὐτῶν. συνέλαβον (συνέβαλλον V, συνέβαλον Ald. corr. Dobraeus) δὲ αὐτοῖς Ἀθηναῖοι καὶ ἔσχον τὴν Κόρινθον ὁρμητήριον, εἰς ἣν ἔπεμψαν ξενικὸν στράτευμα καὶ αὐτοὶ ἔτρεφον αὐτό (αὐτούς V). τοῦ δὲ στρατεύματος ἦρχεν Ἰφικράτης ὁ (om. V) στρατηγός. Sed in alio quodam scholiorum genere verba fiunt, quasi Plutus anno 408 acta sit; velut ad v. 972 ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι; hoc scholium in VΘ Ald. legitur (375 a 1 Dr.): . . . ἀλλὰ καὶ ἐβούλευον οὕτως

1) ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ.

2) cf. Ritter, de Aristophanis Pluto pp. 34 seqq., 50 seqq. Leeuwen in editionis praefatione p. XVI. A viris doctis adhuc neglecti esse videntur

(οὗτοι codd. corr. Hemst.) τῷ πρὸ τούτου ἔτει ἀρξάμενοι. φησὶ γὰρ ὁ Φιλόχορος (FHG I, 403 fr. 119) ἐπὶ Γλαυκίππου (410/9) „καὶ ἡ βουλὴ κατὰ γράμμα τότε πρῶτον ἐκαθέζετο· καὶ ἔτι καὶ νῦν ὀμνύουσιν ἀπ' ἐκείνου καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι (γραμματείῳ V Ald. γραμματίῳ Θ corr. Petitus, leges Atticae p. 196), ᾧ ἂν λάχωσιν". Quodsi τὸ πρὸ τούτου ἔτος archontis Glaucippi est, interpretem de anno archontis Dioclis (409/8) cogitare sequitur. Et profecto in alio quodam scholio Dioclis nomen occurrit[1]). Hic error ut oreretur, qui omnino fieri potuerit, intellegitur velut ex scholio quodam ad v. 173 servato. In V (G) Ald. enim legitur: (τοῦτο εἴρηται) ὡς ἀεὶ ξενικόν τι ἐχόντων Κορινθίων καὶ οὐχ, ὡς ἔνιοι, κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον· δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον[2]). Singula postea expedientur. Apparet autem commemorari posteriorem quandam Plutum viginti annis post priorem actam. Duas vero fabulas Aristophanis, quae Plutus inscribebantur, olim fuisse aliunde quoque constat. Ac primum quidem index fabularum Aristophanearum ex Hesychio haustus, quem ex cod. M (Ambros. L 39 sup.) Novati et ex cod. Vat. 918 Zuretti ediderunt[3]), praebet Πλοῦτος β' ut Αἰολοσίκων β', Θεσμοφοριάζουσαι β', Νεφέλαι β'. Deinde Choeroboscus gram-

vv. 1013—1015, quibus anus vetula ab amico iuvene destituta conqueritur. Ea ut, quantopere antea ab illo amata sit, demonstret, haec dicit:

μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην
ἐπὶ τῆς ἁμάξης ὅτι προσέβλεψέν μέ τις,
ἐτυπτόμην διὰ τοῦθ' ὅλην τὴν ἡμέραν.

Hoc modo poeta iocari poterat eo tempore, quo magna mysteria, quae autumno, mense Boëdromione, agebantur secundum morem traditum pompa per viam sacram Athenis Eleusina ducta celebrabantur. Vix autem tum idem dixisset, cum mystae propter belli pericula imminentia navibus Eleusina vehebantur et omnia, quae in via esse solebant, currus, sacrificia, saltationes, deerant. Quod propter Deceleam a Lacedaemoniis occupatam inde ab anno 413 usque ad 408 factum esse constat. Plut. Alc. 34: ἀφ' οὗ γὰρ ἐπετειχίσθη Δεκέλεια καὶ τῶν εἰς Ἐλευσῖνα παρόδων ἐκράτουν οἱ πολέμιοι παρόντες, οὐδένα κόσμον εἶχεν ἡ τελετὴ πεμπομένη κατὰ θάλατταν, ἀλλὰ καὶ θυσίαι καὶ χορεῖαι καὶ πολλὰ τῶν δρωμένων καθ' ὁδὸν ἱερῶν, ὅταν ἐξελαύνωσι τὸν Ἴακχον, ὑπ' ἀνάγκης ἐξελείπετο. cf. Xenoph. hist. Gr. 1, 4, 20. Alcibiadis opera medio anno 408 Athenas reversi contigit, ut autumno sequenti post sex annos pompa solemnis more antiquo fieret.

1) schol. v. 179 p. 334 a 37 Dr.

2) cf. schol. v. 1146 p. 383 a 52 Dr. schol. v. 115 et v. 119.

3) Novati. Hermes 1879 (XIV), 461. Zuretti, analecta Aristophanea p. 104.

maticus Byzantinus in commentario eo, quem scripsit in Hephaestionis libellum περὶ μέτρων, ad cap. 9 § 2 (p. 56 Gaisf.) adnotavit (p. 235, 13 Consbr.): Αἰολοσίκων δρᾶμα γέγονε πρῶτον καὶ δεύτερον Ἀριστοφάνους ὡς καὶ ὁ Πλοῦτος πρῶτον καὶ δεύτερον, ἐν ᾧ κέχρηται τῷ χοριαμβικῷ μέτρῳ οἱονεὶ τροχιαμβικῷ. Praeterea in schol. Aristoph. Ran. v. 1093 legitur: καὶ ἐν Πλούτῳ πρώτῳ „τῶν λαμπαδηφόρων τε πλείστων αἰτίαν τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν" (CAF I, 506 fr. 442), apud Athenaeum IX, 368d (II, 305 K.): Ἀριστοφάνης ἐν Πλούτῳ δευτέρῳ (v. 1128), in schol. Il. Ψ 361 ex Herodiano (II, 122 Lentz): παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ δευτέρῳ (992). Duae igitur Πλοῦτοι Aristophanis olim fuerunt, quarum altera anno 408, altera anno 388 acta est. Viri docti inde a Tiberii Hemsterhusii temporibus, ut, quae indoles Pluti prioris anno 408 actae esset, cognoscerent valde operam dederunt et modo fabulas funditus diversas[1]) modo priorem ab Aristophane retractatam esse[2]) censuerunt. Quin etiam scholiorum illa discordia commoti S. Petitus, Kuester, Brunck, Brentano[3]) fabulam traditam ex Plutis priore et posteriore mixtam esse putaverunt.

Contra in editionis recentissimae praefatione I. van Leeuwen[4]) sententiam Palmerii[5]) redintegrans anno 408 Aristophanis fabulam, quae Πλοῦτος inscriberetur, actam esse aut unquam duas illius nominis fabulas Aristophaneas fuisse negavit. Vir doctus de Aristophane bene meritus num iure id fecerit, postea examinabitur[6]). Nunc satis habeo, cum plerisque viris doctis statuere, Pluti traditae fabulam cognominem anno 408 Diocle archonte in scaenam commissam esse.

Sed ut, qua via memorabilis ille error interpretum oriri

1) Croiset, hist. litt. gr. III, 530; Kock, CAF I, 505; Ranke, de Aristophanis vita p. 294 (in Thierschii Pluto); Thiersch, proll. editionis p. 469.

2) Bamberg, Fleckeis. ann. 1867, 408; Bergk, hist. litt. gr. I, 251; Bernhardy, Grundriss II³, 668; C. F. Hermann, ges. Abhandl. (1849), p. 39; Ritter, de Aristophanis Pluto p. 60; Zielinski, Gliederung der att. Komödie pp. 80, 114.

3) S. Petitus, miscell. I, 16; Kuester, Invernizi-Beck-Dindorf, comm. in Aristoph. I, 1; Brunck, ibid. p. 65; Brentano, Untersuchungen über das griechische Drama p. 113.

4) Aristophanis Plutus, ed. I. van Leeuwen (1904) pp. III, X, XXIII.

5) Invern.-Beck-Dindorf, comm. in Arist. I, 99.

6) vide cap. XI huius comment.

potuerit, iam obscurum non est, ita quaestionem illam iterum tractare e re erit, omissis sane quidem eis, quae ad sententiam Pluti prioris pertinent cum posterioris sive congruentem, sive ab ea abhorrentem. Praeter Leeuwenium enim, qui et in praefatione et in adnotationibus editionis hanc rem saepius tetigit, de ea egerunt anno 1884 Carolus Ludwig[1]) et anno 1902 H. I. Polak[2]). A quibus viris doctis eam minime absolutam esse censeo. Neque facere possum, quin, antequam ad rem ipsam tractandam accedam, pauca de eorum sententiis moneam. Ludwigius demonstrare studuit omnes interpretes antiquos Plutum priorem legere sibi visos esse. Argumenta eius principalia haec sunt: Ex scholiorum numero, quae cum didascalia tradita consentiunt, in nullo „a scholiastis se posteriorem Plutum tractare disertis verbis declaratur“ cf. pp. 76, 84, 85. Quae verba non ita intellegenda esse videntur, quasi ab interprete aliquo dici τοῦτο τὸ δρᾶμά ἐστιν τὸ δεύτερον Ludwigius exspectet. Sed e. g. alicubi de priore Pluto ut de fabula ab hac diversa verba fieri exspectares, simili modo atque in schol. vv. 173 et 1146 interpretem illum de posteriore ut ab hac diversa agere vidimus. Tamen ne Ludwigius hoc argumento deceptus sit, verendum est. Constat enim scholia servata maximam partem ex commentario Symmachi[3]) fluxisse, a quo materiam maxime a Didymo congestam usurpatam esse demonstravit Schauenburg[4]). Itaque si Symmachus falsae sententiae adstipulatus est, rectam in scholiis defendi nemo sperabit. Quid vero si non post falsam, sed ante eam recta sententia fuit? Unquam fieri id potuisse negat Ludwigius, cum dicit (p. 77) fieri potuisse nullo modo sibi persuadere se posse, ut postquam vera ab Eratosthene[5]) inventa essent, quibuscum omnia optime congruerent, ea ab Aristophanibus Byzantiis Aristarchique discipulis atque Didymis in dissimillima veri

[1]) Pluti Aristophaneae utram recensionem veteres grammatici dixerint priorem. Diss. Jenens. IV, 61.

[2]) De scholiis quibusdam ad Aristophanis Plutum. In Albo gratulatorio in honorem Henrici van Herwerden p. 171.

[3]) Quod demonstravit Schneider, de veteribus in Aristoph. scholiorum fontibus 1828.

[4]) De Symmachi in Aristophanis interpretatione subsidiis diss. Hal. 1881.

[5]) Vide cap. I huius commentationis pp. 7, 9.

commutarentur, quibus summae difficultates obstarent cum eisque consentiret nihil. Rerum cognitionem a falsis ad vera progredi solere quamquam concedendum est, tamen in quaestione, quae et singularitate praestat aliis et nonnisi ex scholiis, materia fallacissima, solvi potest, sine ira et studio, quae tradita sunt, cognoscere opus erat. Ex diligentiore igitur scholiorum interpretatione, cum multi interpretes Pluti de eius tempore recte senserint, post Callistrati demum Aristophanis Byzantii discipuli aetatem falsae sententiae certa vestigia inveniri intellegetur.

Polak l. c. quamquam posterioribus temporibus eam vindicandam esse recte intellexit, tamen totam quaestionem nonnisi obiter tetigit. Qui coniectura quadam ad scholium v. 550 prolata nisus Didymum illius erroris auctorem esse suspicatus est. Ludwigius ab eo ignorari videtur, neque dubium est, quin Polakii argumentis sibi persuasum esse ille negavisset. Apparebit autem falsam sententiam a Didymo si non inventam, tamen defensam esse verisimile esse.

In calce huius praefatiunculae pauca quaedam praemonenda sunt. Cum enim in tota quaestione expedienda semper de scholiis agatur, semper memoria tenebitur, periculi plenissimum id esse negotium. Quanta scholia perpeti soleant, nemo harum rerum peritus nescit, imperitus ex exemplo luculentissimo codicis Ravennatis Aristophanis cum Veneto comparati intelleget[1]). Quodsi enim cogitamus admodum exigua ex ingentibus copiis in commentariis grammaticorum antiquorum congestis reliqua esse, apparet vel scholia uberrima inter et commentarios illos, ut ita dicam, similem rationem exstare atque scholia cod. R inter et scholia cod. V. Quibus de causis statim ab initio totius opusculi moneatur plerumque ultra ea, quae verisimilia sint, progredi nos nequire.

1) cf. A. Roemer, Aristophanesstudien I p. 1 seqq.

Caput I.

De schol. v. 1194.

Initium fiat a schol. v. 1194, non quo grammaticorum errantium sententia ibi luculentissime perspici possit, sed quod ex eo in studiorum ad comoediam pertinentium ducibus atque inventoribus fuisse, qui recte de Pluti anno censerent, verisimile fit.

Plutus postquam Chremyli auxilio morbo liberatus antiquum imperium recuperavit, exempla luculenta potestatis suae edit, quorum ultimum est Iovis Sospitatoris sacerdos omni victu destitutus. Fabula ut finiatur chorusque abducatur, Chremylus consilio deum in opisthodomo Parthenonis collocandi capto introrsus clamat (v. 1194):

ἀλλ' ἐκδότω τις δεῦρο δᾷδας ἡμμένας.

Faces afferuntur. Mox Plutus accersitur et pompa in novam sedem deducitur.

Ad v. 1194 in V Θ Ald.[1]) adscriptum est: <τὸ χ>ὅτι Λυκόφρων, ὡς ὁ Ἐρατοσθένης φησίν, ᾠήθη, πρῶτον τοῦτον δᾷδας ᾐτηκέναι· πεποίηκε δὲ καὶ ἐν Ἐκκλησιαζούσαις αὐτό. ἀλλὰ γὰρ Στράττις πρὸ ἀμφοτέρων τούτων τοὺς Ποταμίους (Θ. Ποταμούς V Ald.) διδάσκων εἰς Φιλύλλιον (Φύλλιον V Ald. Φύλλον Θ corr. Hemst.) ἀναφέρει τὸ πρᾶγμα·

ὑμεῖς τε πάντες ἔξιτ' ἐπὶ τὸ Πύθιον,
ὅσοι πάρεστε μὴ λαβόντες λαμπάδας

---

[1]) Scholia sumpsi ex Duebneri editione vitiorum plena. De scholiis V praeterea imaginem codicis a White et Allen editam (1902), de schol. R Graeveni collationem in Rutherfordi editione (1896) consului. — Hoc loco V Θ Ald. ut in aliis fabulis artius cohaerent cf. Zacher, Hdschr. u. Klassen der Aristoph. schol. in Fleck. ann. Suppl. 16, 711.

μηδ' ἄλλο μηδὲν ἐχόμενον Φιλυλλίου (Φυλλίου
V Ald. Φύλλου Θ. corr. Hemst.)[1]).

Quoniam ad temporis rationem totam hanc adnotationem pertinere apparet, utram Plutum eius auctores legere sibi visi sint, ex ea intellegi posse exspectes. Quod enim in aliis quaestionibus fieri poterat, ut, quo anno Plutus, quam illi habebant, acta esset, non curarent, ab hac alienum est.

Lycophro igitur in eo libro, quem composuit de comoedia quaedam[2]) dixerat, quae auctor huius scholii ex illo libro non ipse sumpsit, sed ex Eratosthenis libro eo, qui et ipse περὶ κωμῳδίας vel περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας inscriptus erat, cognovit. Commentarios enim in fabulas Aristophaneas ab illis compositos esse neque constat neque verisimile est[3]). Verba πεποίηκε κτλ. utrum Eratostheni tribuenda an ab eo abiudicanda sint, quamquam non constat, tamen sententia Streckeri, qui quoniam ab Eratosthene Lycophro saepe castigatur[4]) vel haec omnia ab Eratosthene nata esse putavit, mihi quoque arridet. Lycophronem igitur in opere illo scripsisse verisimile est, Aristophanem primum omnium poetarum comicorum facibus in scaena usum esse; testimonium eius sententiae Pluti versum ab eo adiectum esse. Hoc ut credam, non tam eo adducor, quod tota adnotatio ad Pluti, non alius fabulae versum adscripta legitur, quam et quod nullo testimonio allato Lycophronem illam sententiam pronuntiavisse incredibile est, et quod Eratosthenes in eis, quae sequuntur, Pluti rationem habet, quamquam nomen fabulae ipsum non legitur. Qui fortasse exposuit, primum ex Aristophanis fabulis exemplum a Lycophrone male electum esse, cum Aristophanes ipse iam ante Plutum in Ecclesiazusis taedas adhibuerit[5]). Iam vero

---

1) Cf. quae de hoc schol. scripsit Strecker, de Lycophrone, Euphronio, Eratosthene comicorum interpretibus (1884) p. 24 fr. 7.

2) Talia quomodo Lycophro adnotaverit, illustratur loco quodam Athenaei IX, 485 d Λυκόφρων δ' ἐν τῷ ἐνάτῳ περὶ κωμῳδίας παραθέμενος τὰ Φερεκράτους (CAF I, 171 fr. 95) καὶ αὐτὸς εἶναί φησι γένος κύλικος τὴν λεπαστήν. Strecker fr. 85. cf. Leo, Gött. Nachr. 1904, 256.

3) Strecker pp. 3, 12.

4) Strecker p. 5; cf. schol. Pac. 199, 702; Vesp. 239; Ath. 11, 501 d; Hesych. s. v. κατειλυσπωμένην.

5) Tamen conferas velim, quae infra p. 11 sq. dicentur.

Lycophronis sententiam prorsus falsam esse: non Aristophanem primum in scaenam faces proferri iussisse. Strattidem enim ante utramque fabulam Potamios docuisse, in quibus versus quidam legerentur, quibus in illa re ad Philyllium provocaret[1]. Verba scholii optime cohaerere videntur et particulas δὲ καί et ἀλλὰ γάρ, nisi essent, ubi sunt, reponere oporteret. Quamquam enim utrumque argumentum contra eandem sententiam valet, tamen vim eorum adeo diversam esse apparet, ut hoc Lycophro ab omni parte refutetur, cum ut illud admittatur, nonnulla eorum, quae dixerit, recte se habere concedi necesse sit. Iure igitur illi verbum δέ, huic ἀλλὰ γάρ „aber freilich" praemissa sunt. Miri aliquid in verbis πρὸ ἀμφοτέρων videtur esse. Nos quidem in duobus temporis momentis „ante hoc vel illud" diceremus, non „ante utrumque". Tamen cum duorum tantum annorum intervallo illae fabulae separentur, duobus eiusdem aetatis testibus priorem illam aetatem opponi dicas[2].

Ludwigius[3] hoc scholio, maxime verbis πεποίηκε δὲ καὶ ἐν Ἐκκλησιαζούσαις αὐτό refutandi causa insertis, opinionem suam minime confirmari quamquam primum sensisse videtur, tamen interpretatione satis artificiosa difficultatem e medio tolli posse putavit. Sed cum et ubi et qua de causa versus 1194 a Lycophrone tractatus esset, perspexisse non videatur, operam et oleum consumpsit inquirendo, verbo τοῦτον utrum Chremylus an Aristophanes intellegendus esset. Lycophronis sententiae ab Eratosthene nonnisi verba ἀλλὰ γὰρ κτλ. opponi putat, cum πεποίηκε δὲ καὶ — αὐτό ab eodem quasi doctrinae demonstrandae non Lycophronis refutandi causa strictim apposita esse videantur[4]. Hoc enim modo ratiocinatur: „Aristophani per τοῦτον significato per se intellegitur non eundem Aristophanem opponi posse per verba πεποίηκε δὲ καὶ ἐν Ἐκκλησιαζούσαις αὐτό, sed alium poetam obiciendum esse tam-

---

1) Bergk, hist. litt. Gr. IV, 86 adn. verba ἀλλὰ γὰρ κτλ. ab Eratosthene abiudicat et scholiastae tribuit. Qua de re vide p. 11 huius commentationis.

2) Ecclesiazusas anno 390 actas esse nuper evicit Walther Florian, Studia Didymea historica (diss. Lips. 1908) p. 18 seqq.

3) p. 78.

4) p. 79 verba illa Eratostheni abiudicare et scholiastae tribuere mavult.

quam huius rei inventorem". Persuasum enim habet et Lycophronem et Eratosthenem de Pluto anno 408 acta cogitare. Quod si verum esset, ut verba illa Lycophroni opponerentur, sane fieri non poterat, cum Ecclesiazusae duodeviginti annis post illam in scaenam commissae sint. Sed in hac quaestione ad temporis rationem solam pertinenti Ecclesiazusarum tempus neglectum esse vel per se veri dissimile est. Difficultates autem sententiae Ludwigianae occurrentes solvi, si Eratosthenem de anno 388 cogitare sumeremus, modo dictum est. Hunc igitur e ratione anni 388 contra Lycophronem sua protulisse credas[1]). Quem Plutum eandem respexisse et anno 388 eam actam esse scivisse non aeque certum esse videtur.

Sed priusquam ad hanc quaestionem accedam, quae de Eratosthene statui, iterum examinanda sunt. Dissentire enim me video non solum a Ludwigio sed etiam a philologis summae auctoritatis Clintono, Meinekio, Kockio. Kockius CAF I, 721 Meinekium, Meinekius hist. crit. 233 Clintonum secutus est. Cuius verba a Kruegero latine expressa (fast. hell. p. 103) haec sunt: „Vix licet statuere Lycophronem non modo Philyllii et Strattidis, sed ipsius adeo Aristophanis oblitum affirmasse, primum in Pluto β′ factum esse, quod iam factum erat in Ecclesiazusis. Sed quod verum non est de altera Pluto, verum fuerit de priore viginti ante annis acta. Itaque hi versus (1194 s.) inerant in priore Pluti editione et de hac Lycophron loquebatur." Secundum Clintoni sententiam igitur fabulae hoc modo inter se exceperunt: 408 Plutus α′, deinde Philyllii fabula, tum Strattidis Potamii, tum Aristophanis Ecclesiazusae, 388 Aristophanis Plutus β′. Porro Lycophronem, cum sententiae suae argumentum protulerit, Pluto priore usum esse censet, in qua vv. 1194 seqq. ipsa quoque fuisse necesse sit. Sed Eratosthenem errore deceptum illos versus ex priore fabula a Lycophrone sumptos esse non sensisse, cum in posteriore, quam ipse manibus terebat — altera aut perierat aut ei nota

[1]) A. de Bamberg, Lit. Centralblatt 1881, 963 breviter sententiam eandem pronuntiavit his verbis usus: Dass die Ποτάμιοι des Strattis vor Ol. 92, 4 (409/8) aufgeführt seien, ist aus schol. Plut. 1194 nicht zu schliessen; es handelt sich hier nicht um den ersten, sondern um den zweiten Plutus, also nur um Ol. 97, 4 bezw. um die Zeit vor der Aufführung der Ekklesiazusen.

non erat — idem legerentur. Itaque Lycophronem refutare sibi visum eum esse, cum ostenderit fabulas ante annum 388, quo ea Plutus, quam habebat, acta erat, in scaenam commissas, Aristophanis Ecclesiazusas, Philyllii fabulam a Strattide vituperatam, nescium illum harum fabularum rationem iam habuisse. Apparet igitur Clintonum putare et hunc grammaticum scire Plutum nostram posteriorem esse, necnon Lycophronem, quippe qui Plutum vere priorem ipse inspexerit. Itaque et Meinekius et Kockius Clintoni verbis abusi sunt, cum lectorem ad eum delegantes Strattidis Potamios ante annum 408 actam esse scripserunt et Ludwigius Clintonum refutare, non probare debebat, si suam causam defendere volebat[1]).

Equidem in eo cum Clintono facio, quod ab Eratosthene vel alio quodam grammatico reprehendi putat Lycophronem, quia ab Aristophane in Pluto posteriore primo faces adhibitas esse censeat. Non probo argumenta ea, quibus iniuria Lycophronem ab adversario vituperari demonstrare conatur. Imprimis Lycophroni id imputare licere negat, ut gravissima testimonia, quae contra ipsum proferri poterant, non viderit. Sed primum ex Lycophronis et Euphronii fragmentis[2]) scimus, quanta levitate archegetae illi studiorum ad comoediam pertinentium et in fabulis interpretandis et in singulis rebus statuendis versati sint. Iam vero cogitandum est, cum Eratosthene Philologo rem nobis esse, cuius diligentiam ne Clintonus quidem reprehendere debebat, praesertim cum versemur in terra Eratostheni minime incognita. Didascaliarum enim cum peritissimus fuerit, bis ab Aristophane fabulas Pluti nomine inscriptas in scaenam commissas esse eum scivisse credere necesse est. Velim enim conferas quae de Pace bis in Didascaliis occurrenti dixisse eum testatur Pacis arg. III. Deinde legas velim locum Ciceronis ep. ad Att. VI, 1, 18: „Quis enim dixit Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας, ab Alcibiade navigantein Siciliam deiectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes; affert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit.“ Porro conferendis fabulis cognominibus unius poetae, ut quid con-

1) Ludwig p. 80.
2) Strecker pp. 5, 11.

sentirent et quid differrent, intellegeret eum admodum studuisse ex scholio Aldino clarissimo Nub. 552 scimus. Ubi Callimachus, qui Didascalias vitiosas esse censuerat, quod Aristophanis Nubes ante Eupolidis Maricantem ferrent, quamquam in illis Eupolideae fabulae ratio haberetur, ab Eratosthene refutatus esse dicitur Didascalias defendente, quod Aristophanis Nubes actae diversae essent a Nubibus a Callimacho lectis, cum illae a poeta postea retractatae essent, ita ut Maricantem commemorari non mirum esset. Cuius rei ea, de qua nunc agitur non absimilis esse videtur. Si Clintonum sequeremur, Eratosthenem, qui difficultatem a Callimacho motam optime solvit fabula priore cognomine demonstrata, cum Lycophronem reprehenderet, de priore Pluto cogitare omisisse necesse esset credere. Quod verisimile non est, sive Plutus prior tum superat, sive iam perierat. Primum igitur a Lycophrone nostra fabula adhibita esse mihi videtur, Eratosthenes autem suo iure eum vituperasse.

Ceterum Clintonus sive Lycophronem purgare voluit, sive eam, quam tractamus quaestionem, ignorabat, alterum quoddam omisit, quod ipsum quoque fieri potuisse videtur. Etenim et supra diximus et mox videbimus quosdam grammaticos Plutum traditam i. e. posteriorem esse priorem censuisse. Quodsi Lycophro huius sententiae particeps fuisset, Eratostheni perperam eum vapulasse censendum esset, quoniam eius error qualis esset, ab eo perspectum non esset. Quod fieri potuisse nemo negabit, cum ex scholiis neque contra hanc sententiam neque pro ea quidquam afferri possit.

In eis quae adhuc de hoc scholio exposita sunt, verba ἀλλὰ γὰρ κτλ., quae a Bergkio[1]) scholiastis vindicata sunt, paene neglegi poterant. Sed ea, quae ad Lycophronem refutandum proferantur si non omnia tamen aliquam partem ab Eratosthene inventa esse propter morem eius aliunde notum verisimile esse diximus[2]). Praeterea locum Strattideum cum interpretatione non scholiastis, sed grammaticorum antiquorum eruditioni deberi apparet. Contra si quis cum Ludwigio verba πεποίηκε — αὐτό recentioribus temporibus vindicanda esse cen-

1) Vide supra p. 8 adn. 1.

2) Vide p. 7.

seat, a scholiastis quoque ad fabulam Aristophanis servatam nos delegari posse dicat, ut e. g. verbis εἴρηται et προείρηται saepius ad aliarum fabularum scholia remittimur[1]). Tum sane sumendum esset verba πρὸ ἀμφοτέρων τούτων ipsa quoque illis deberi et certum remaneret nihil, nisi Strattidis Potamios ante alteram Plutum — sive priorem sive posteriorem — actam esse. Sed quoniam fieri quoque potest, ut antiqua et genuina sit illa sententia, et argumenta a Ludwigio contra eam prolata vana sunt, verba scholii sequi non inutile visum est.

In calce huius capitis pauca addam ad intellegendam verborum ἀλλὰ γὰρ κτλ. rationem apta, quoniam, quid sibi velint, se non perspicere Strecker p. 24 confessus est. Facere non poterit, quin miretur, quod Eratosthenes satis habeat demonstrare ante Pluti et Ecclesiazusarum annos faces in scaenam productas esse, quicunque plus triginta annis ante Ecclesiazusas in Pace (v. 1317) et non multo post in Nubibus retractatis ab Aristophane idem factum esse cogitabit. Itaque propter terminum, qui dicitur ante quem, suspicio nascitur, parum diligenter in hanc rem Eratosthenem inquisivisse. Porro alia quadam ratiocinatione instituta Philyllium non primum faces adhibuisse verisimile esse apparebit.

Philyllium Suidas s. v. Διοκλῆς Sannyrionis et Dioclis aequalem fuisse exhibet, quorum aetas ne ipsa quidem certe constat. Ex fr. 9 (CAF I, 784) colligitur, Laespodiam[2]) ab eo castigatum esse, qui ab Aristophane in Av. 1569 (cf. Thuc. 6, 105, 2) illuditur et Thucydide (8, 86, 9) teste anno 411 a quadringentis legatus Lacedaemonem missus est. Non multo post illum annum Philyllium primum Lenaeis fabula vicisse ex inscriptione IG II, 977 e (Syll.² II, p. 556)[3]) intellegas. In qua ei poetae comici enumerantur qui Lenaeis victorias reportaverunt, ita ut uniuscuiusque poetae nomen inseratur secundum annum primae victoriae. Columnarum duarum priorum, quarum utraque olim septendecim nomina praebuit,

---

1) Meiners, quaestiones ad scholia Aristophanea historica pertinentes, diss. Hal. XI p. 222. Enger, Zeitschr. für Altertumswissenschaft 1841, 949.

2) Kirchner, prosop. Attica II, 1 nr. 8963.

3) Wilhelm. Urkunden dramat. Aufführungen in Athen p. 123 col. II, 10.

partes superiores servatae sunt. Prioris columnae nomen ultimum est servatum in v. 11 [Εὔ]πολις |||; desunt nomina sex; secunda columna incipit a Πο[. . . . .] |. Cuius in v. 10 legitur Φιλύλλιος |. Aristophanis nomen desideratur, quem ipsum anni 424 Lenaeis Equitibus primum vicisse scimus[1]). Itaque eius nomen in inferiore parte columnae primae fuisse necesse est[2]). Sumamus paenultimum fuisse, cum nomen Philonidis, qui teste Vesp. arg. I anno 422 vicit, post eius fuisse verisimile sit[3]). Quoniam novem nomina ante Philyllium in columna altera servata sunt, is certe non ante undecimum post 424 annum victoriam illam reportavit. Sed vel ultra annum 413 procedere necesse est. Primum enim vel post Aristophanis victoriam primam alios vicisse credas, quorum nomina in col. I ante eius legebantur: tres quattuorve annos hoc modo consumptos esse ponam. In col. II Metagenis, Theopompi, Polyzeli plures victoriae leguntur, Nicophontis, Amipsiae, Nicocharis numeri desunt. Ex quibus fortasse duo ante Philyllium bis vicerunt. Undecim igitur illis annis addendi sunt quinque vel sex. Ergo Philyllius vix ante annum 408 primum Lenaeis vicit. Quo anno docere coeperit, hinc colligi quamquam nequit, tamen, cum de Lenaeis agatur, ultra alterum illius saeculi decennium nemo procedet. Sed Aristophanem ipsum in Pace anno 421 acta chorum canentem fecisse constat (v. 1317):

εὐφημεῖν χρὴ καὶ τὴν νύμφην ἔξω τινὰ δεῦρο κομίζειν
δᾷδάς τε φέρειν, καὶ πάντα λεὼν συγχαίρειν κἀπιχορεύειν.

Cuius loci Eratostheni in mentem non venisse videtur. Neque tamen iure Eratosthenis neglegentiam incusari a Ludwigio arbitror, cum ille non scripsisse videatur Philyllium illius rei inventorem esse[4]), sed: Στράττις εἰς Φιλύλλιον ἀναφέρει τὸ πρᾶγμα (Strattis beruft sich[5]) in der Sache auf Phi-

1) Equit. arg. II col. v. 513 seqq. c. schol. Wilhelm p. 113.

2) Wilhelm p. 124.

3) Wilhelm p. 124.

4) Sequitur in hoc errore Ludwigius Meinekium, hist. crit. p. 259.

5) Verbi ἀναφέρειν εἰς indoles cognoscitur ex hisce exemplis. Anaximenis(?) rhet. ad Alex. p. 1437 b 24 δεῖ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πρότερον μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς προκαταλήψει χρῆσθαι, ἔπειτα τὴν αἰτίαν εἰς τὴν ἀνάγκην καὶ τὴν τύχην καὶ τοὺς καιροὺς καὶ τὸ συμφέρον ἀναφέρειν. Eur. Iph. Taur. 390. [Demosth.] 34, 46.

lyllios). Apparet enim accuratius de illa re quaerere eum noluisse, sed Lycophronis errorem demonstrare satis habuisse, cum hac in re veritati viam munire quam ipse eam investigare mallet. Qui enim fieri poterat, ut Lycophronem permultas et inter se diversas regiones historiae comicorum permigrantem semper sequeretur quaeque ille peccaverat emendaret? Saepius id eum fecisse, quod hoc loco, credibile est. Deinde vero parum caute Eratosthenes Strattidis verbis, quae ut supersint, bene accidit, nisus dixisset: a Strattide Philyllium illius moris inventorem nominari.

Meinekius CGF II, 777 haud scio an iure suspicatus sit in ultima parte fabulae nescio cuius illos versus Strattidis fuisse. Chorum[1]) enim quidam iubere videtur ad Apollinis Pythii templum[2]) proficisci. Idem vetat eum faces aut aliud quidquam secum ferre eorum, quae Philyllius adhibuerit. Quis est, cui non in mentem veniat eius loci Nubium (537—562), quo Aristophanes adversariorum vitia enarrat? Ne ex Strattidis quidem verbis quicquam sequitur, nisi displicuisse ei, quomodo Philyllius facibus in fabulis vel certa quadam fabula utatur. Neque Meinekius in errorem modo monitum incidisset, si verba Strattidis omissa Eratosthenis interpretatione legisset.

---

1) ὑμεῖς πάντες cf. ἡμεῖς ἅπαντες Vesp. v. 1516.

2) Judeich, Topogr. Athen. p. 344.

Caput II.

De schol. v. 972.

Plutus deus ubi primum imperium recuperavit, omnes homines, quanta sit potestas sua, docet. Ac primum quidem iustus quidam vir procedit, qui antea ab amicis infidelibus fortuna privatus nunc subito dives factus est. Sequitur sycophanta, qui operae sordidae praemia domi collecta subito perdidit. Tertia advenit vetula quaedam anus, quae quid sibi acciderit, obscure primum indicat. Tantam enim calamitatem sibi accidisse affirmat, ut non vivere praestet. Chremylus sycophantriane[1]) sit, ex ea quaerit. Ubi illa negat, porro interrogat (v. 972):

ἀλλ᾽ οὐ λαχοῦσ᾽ ἔπινες ἐν τῷ γράμματι;

Feminas propter vinositatem ludibrio haberi in Aristophanis comoediis saepe iocandi facultatem praebet. Quo cum ioco hoc in versu alius quidam coniunctus est. Initio enim quarti a. Chr. n. saeculi nova iudicum sortiendorum ratio incohabatur[2]): Non ut antea eadem iudicum collegia per totum annum in eisdem iudiciis munere fungebantur, ita ut semel per annum sortiendo opus esset, sed cotidie singula per sortem singulis iudiciis attribuebantur. Collegia, quae decem erant, cum unumquodque suam haberet litteram A, B, Γ usque ad K, ipsa γράμματα vocabantur. Ex decem autem tribubus populi ita efficiebantur, ut singulis collegiis ex singulis tribubus idem fere numerus iudicum mitteretur.

In eo, de quo agitur versu, verbum ἔπινες pro ἐδίκαζες repositum esse in scholiis dicitur. γράμμα igitur est decuria

1) Quod verbum quomodo intellegendum sit, exposuit G. Suess, de personarum antiquae comoediae Atticae usu atque origine diss. Giss. 1905, p. 95.

2) Lipsius, Att. Recht I p. 139 seqq.

ea, cui adscripta esse anus fingitur, non iudicum sed potorum. λαχοῦσα ad cotidianam sortitionem, qua singulae decuriae in iudicia mittuntur, pertinet. Iam vero in iudiciis quicunque sortem nactus erat, in iudicium suum proficiscebatur et munere functus mercedem accipiebat. Chremylus autem causam lacrimarum mulierculae investigans, per iocum suspicatur eam, quamquam per sortem potare ei licuisset, nescio quam ob rem occasione potandi usam non esse vel uti non potuisse.

Ad hunc versum scholium quoddam servatum est in VΘ Ald.

παρ' ὑπόνοιαν τὸ ἔπινες ἀντὶ τοῦ ἐδίκαζες· ὅτι δὲ κατὰ γράμμα ἐκληροῦντο (sc. οἱ δικασταί) προείρηται (ad v. 277)· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐβούλευον οὕτως (οὗτοι codd. corr. Hemst.) τῷ πρὸ τούτου ἔτει ἀρξάμενοι. φησὶ γὰρ ὁ Φιλόχορος (fr. 119 FHG I, 403) ἐπὶ Γλαυκίππου (410/9) „καὶ ἡ βουλὴ κατὰ γράμμα τότε πρῶτον ἐκαθέζετο καὶ ἔτι καὶ νῦν ὀμνύουσιν ἀπ' ἐκείνου καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι (γραμματείῳ V Ald. γραμματίῳ Θ. corr. Petitus, leges Att. 196), ᾧ ἂν λάχωσιν“.

Initio propter Polakium et Leeuwenium pauca monenda sunt. Polakii[1]) auctoritate nisus Leeuwen[2]) post verbum Φιλόχορος interpunxit, ut ἐπὶ Γλαυκίππου verba ipsius Philochori essent. Cuius scriptoris opus cum ita compositum esset, ut secundum annorum ordinem praefixis singulorum archontum nominibus res enarrarentur[3]), nec necessarium erat aut verisimile est archontum nomina praeter initia vel intra capita iterum atque iterum repetita esse. Quomodo coeperint intellegas ex fr. 135 (Dion. Hal. ad Am. 11. = I, 272, 20 U.-R.): Θεόφραστος Ἁλιεύς· ἐπὶ τούτου Φίλιππος κτλ. cf. fr. 135 (I, 273, 12 U.-R.), fr. 132 (267, 12 U.-R.), porro ex fragmentis in commentario Didymi ad Demosthenis orationes servatis[4]) coll. 1, 19; 8, 18. Verbo καί autem ab uno ad alterum Philochorum transisse inde cognoscas, quod quaedam fragmenta ab illo verbo incipiunt cf. fr. 19 (Ath. 693d), fr. 97 (schol. Pac.

---

1) p. 172.

2) p. XXIII.

3) Boeckh, opusc. 5, 403. Usener, Fleck. ann. 1871 (vol. 103) p. 312. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte p. 556.

4) Berliner Klassikertexte I.

605), Didym. coll. 1, 15; 7, 19; 10, 54. Quare ne hoc quidem fragmentum initio descriptionis factorum illius anni, sed in media enarratione fuisse puto. Ceterum verba saepe occurrentia Φιλόχορος ἐπὶ τοῦ δεῖνα idem valent atque Φιλόχορος προθεὶς ἄρχοντα τὸν δεῖνα. Didym. coll. 1, 19; 8, 17; 7, 35. 20; fr. 106.

Verbo προείρηται[1]) demonstratur schol. Plut. 277, in quo secundum Aristotelis auctoritatem, quomodo iudicum sortitio cotidiana quarto a. Chr. n. saeculo fere medio facta sit, narratur. Sumptum enim est ex Aristot. rep. Ath. 64, 4[2]), ubi describitur, quomodo illa philosophi temporibus instituta fuerit. Ceterum ex schol. 277 sumptum est schol. 972, II[3]) (375a 5—11 Dr.), quod descripsit Suidas s. v. ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι; ex Suida hausit Apostolius[4]) corp. paroemiograph. II, 276, 12.

Verba τῷ πρὸ τούτου ἔτει ἀρξάμενοι ad quam aetatem pertineant, intellegitur ex sequentibus ἐπὶ Γλαυκίππου, qui magistratu functus est anno 410/09. Τοῦτο τὸ ἔτος apud interpretes is annus est, quo fabula, quae tractatur acta est[5]). Itaque, qui Glaucippi annum τὸ πρὸ τούτου ἔτος vocat, is e ratione anni 408 loquitur i. e. Plutum priorem manibus terere sibi videtur. Ab hoc autem ea interpretatio, quam flagitat hic versus, probari non poterat. Anno enim 408 ratione a posteriore illa funditus diversa iudices distribui consueverant[6]), siquidem ea vigebat, quam ex Vespis Aristophanis novimus. Omnes qui praesto erant iudices semel per annum in iudicia distribuebantur. Singula quomodo se habuerint nescimus. Sed apparet brevitatis causa collegia litteris designari tum necesse non fuisse. Quare ab illo interprete novam interpretationem proponi opus erat. Invenit[7]) eam apud Philochorum, qui

1) cf. supra p. 12 a. 1.

2) cf. Lipsius, Sächs. Sitzungsber. 1891, 60. Att. Recht I, 145.

3) Bruck, Philol. 1893 (52), 395.

4) Hiller, Philol. 1875 (34), 226.

5) cf. scholl. Thes. 190. 1060. Ran. 53. Vesp. 1013, 1326.

6) Lipsius, Att. Recht I, 136.

7) Leeuwen p. XXIII ex huius scholii forma genuina totam falsam sententiam ortam esse ratus Philochori librum ab eius sospitatoribus adhibitum esse negavit. Quod verisimile non esse infra demum demonstrari poterit. Vide cap. XI huius comm.

anno 410/09 novam sedendi rationem senatorum[1]) institutam esse testabatur. Sane locus ille Philochoreus ad hunc versum interpretandum aptus esse videbatur, cum ad quam institutionem γράμμα illud pertineat, poeta non dicat. Tamen accuratius inspicientem, quid sentiret, fugere non poterat, cum γράμμα in Pluto praeterea in v. 277 et v. 1167 occurrat, ubi verbis δικάζειν et δικάζοντες ostenditur, utrum γράμμα intellegendum sit. Sed de his infra in cap. IX agetur.

Initio scholii rectam huius loci interpretationem ita exponi vidimus, ut ad iudicia versus pertinere dicatur. Quae cum altera illa verbis οὐ μὴν ἀλλά coniuncta est. Simili modo infra (schol. v. 1146) rectam sententiam cum falsa coniunctam inveniemus. Sed cum neque temporis fabulae ab eo interprete rationem habitam esse neque utrum a scholiastis id interpretamentum appositum sit, an in eo commentario, ex quo scholia fluxerunt, iam fuerit, appareat, satis habendum est, praeter falsam interpretationem in hoc scholio rectam quoque inveniri statuere cf. schol. II (375a 5—11 Dr.) et IV (375a 13—19 Dr.).

1) De re ipsa cf. Wachsmuth, Stadt Athen II, 323 adn. 1. Keil, Herm. 1894 (29), 68.

Caput III.

De schol. v. 385.

Chremylo ut chorum consolutaret e domo egresso Blepsidemus amicus obviam it. Qui cum illum ex paupere subito divitem factum esse compererit, per fraudem aut aliam improbitatem fortunas nactum eum esse suspicatur. Quaerit igitur ab eo verbis tectis et quasi consciis, furtumne aut rapinas fecerit. Illo pernegante eos, qui in contione verba facere soleant, pecunia corrupturum se esse pollicetur, ne tota urbs, quae ille commiserit, audiat. Denique Chremylum omnia eius officia repudiantem monet fieri non posse, quin accusetur. Apud iudices autem ad ultimum confugere coactum eum iri, feminam liberosque supplices producere. Quod facientem cum suis consimilem eum fore Heraclidarum Pamphili:

382 ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον
ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικός, κοὐ διοίσοντ' ἄντικρυς
τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου.

Quos versus quicunque perleget, facere non poterit, quin meminerit, quomodo secundum memoriam Atticam Herculis filii Iolao duce Eurystheum fugientes Athenas venerint, ut a populo et rege auxilium atque tutelam peterent. Itaque cum Plutus acta est, actore verba κοὐ διοίσοντ' ἄντικρυς κτλ. pronuntiante unumquemque eorum, qui audiebant, Chremylum cum Iolao, eius feminam et liberos cum Heraclidis supplicibus comparavisse credas. Neque tamen hanc historiam ita eorum animis obversatam esse verisimile est, ut fortasse usque ad illa tempora in regione Marathonia narrabatur, sed ita ut poetae et artifices eam formaverant. Ex tragicis et Aeschylum

et Euripidem[1]) fabulis, ex pictoribus Apollodorum[2]) Heraclidarum sortes illustravisse constat. Quodsi iam comparatione illa lepida facta poeta eos, qui audiebant, delectavit, auctam esse delectationem nomine aequalis, Pamphili, παρὰ προσδοκίαν pronuntiato iure credas. Sed quae ratio Pamphilum inter et Heraclidas exstet, inde a temporibus grammaticorum Alexandrinorum lis est. Scholia utrum pictor an poeta sit Pamphilus, ambigunt; quibus freti huius aetatis interpretes modo hanc modo illam sententiam defenderunt. Utra verior esse videatur, infra examinabitur. Scholiis vero missis Ericus Bethe magister venerandus totum locum sic vertit: Ich sehe einen, der auf dem Bema des Gerichts sitzen wird, den Bittzweig in den Händen, und sich auch nicht um ein Haar unterscheiden wird von den Herakliden — des Pamphilos Kindern. Pamphilum autem eum esse rhetorem, qui in v. 174 iam commemoratus sit. Sane qua de causa Pamphili liberi id nomen accipiant, nescimus. An tum demum Heraclidarum similes futuri sunt, ubi pater eorum passus erit, quae poeta vaticinatur (κλαύσεται v. 174)? Neque enim hic ad id tempus flere videtur. Vix hunc iocum quisquam perspexisset. Itaque illos iam ante patris calamitatem sic vocatos esse credere necesse est.

Scholia separatim descripta huic commentationi addidi, ita ut numeris I, II, III scholiorum ordo Duebneri (Aldinae) indicetur, sub litteris A, B ea colligantur, quibus eadem tradita sunt. — Ex omnibus intellegitur, duas fuisse sententias, quarum altera erat, Pamphilum fuisse pictorem, altera poetam. Neque obscurum est, quomodo illa orta sit. Primum enim ab Aristophane tabulas pictas commemorari constat ex Lys. 678 seqq., Ach. 992, quam consuetudinem olim vel pluribus ex exemplis intellegi potuisse credas. Pamphilus[3]) autem celeberrimus ille scholae Sicyonicae pictor, quin eis qui hoc nomen legerent, obversaretur, fieri non poterat. Praeterea

[1]) cf. Wilamowitz, de Euripidis Heraclidis. Prgr. Gryph. sem. aestiv. 1882.

[2]) cf. scholia infra sequentia et Huddliston, die griechische Tragödie im Lichte der Vasenmalerei (übers. M. Hense) p. 27.

[3]) Brunn, Geschichte der griech. Künstler II², 89. Six, archäol. Jahrb. 1905 (20), 97.

historia Heraclidarum a pictura aliena non erat, quoniam Apollodorum, qui ante Pamphilum floruit[1]), eam pinxisse constat. Ratione huius interpretationis perspecta in dubium vocandam eam esse censeremus, etiamsi non disertis verbis in scholiis refutaretur[2]). Nunc vero legimus (III B): Eiusmodi tabula quae exstet, eam ab Apollodoro pictam esse, non a Pamphilo. Deinde Pamphilum pictorem omnino post Aristophanem floruisse. Quae argumenta etiamsi unde sumpta sint, nescimus, tamen doctrinam veram sapiunt. Ex fontibus autem optimis ea fluxisse verisimile est, quod parvi negotii erat, de ea re certa quaedam statuere. Tertio enim et secundo a. Chr. n. saeculo Xenocrates et Antigonus de artificibus scripserant. In quibus operibus non solum iudicavisse eos de singulorum ingeniis, sed etiam opera artificum enumerasse intellegitur ex loco quodam Diogenis Laertii VII, 187[3]), ubi narratur, a Chrysippo Stoico ἐν τῷ περὶ τῶν ἀρχαίων φυσιολόγων συγγράμματι foeda quaedam de Iove et Iunone ficta esse, quae ex imagine aliqua se sumpsisse philosophus dixerat. Diogenes pergit, illam historiolam non esse παρὰ τοῖς περὶ πινάκων γράψασι κεχωρισμένην· μήτε γὰρ παρὰ Πολέμωνι μήτε παρὰ Ξενοκράτει (παρ' Ὑψικράτει codd., corr. Koepke et Wilamowitz), ἀλλὰ μηδὲ παρ' Ἀντιγόνῳ. „Offenbar war das Buch (des Antigonus) also nicht bloß eine Geschichte der Malerei, sondern auch eine Statistik der Gemälde und sogar eine sehr vollständige" (Wilamowitz, Ant. v. Kar. p. 8). Ex his igitur vel eiusmodi libris grammaticus is, qui hoc scholiorum loco interpretes refutat, et Pamphili[4]) tabulam pictam id genus non esse, et Apollodori esse cognoscere poterat.

Pamphili aetas apud Plinium, ex quo multorum artificum tempora novimus, ita tantum tradita est, ut Eupompi discipulum, Apellis magistrum[5]) eum fuisse discamus, quorum

1) Brunn, l. c. pp. 48. 51.

2) Leeuwen nihilominus in adn. ad v. 385 Pamphilum pictorem perstringi censuit.

3) Clemens Alex. Homil. V, 18, 667. Origenes c. Cels. IV, 48, 540 (corp. script. christ. I, 321). Lobeck, Aglaophamus I, 606.

4) Scholam pictorum Sicyonicam, cui Pamphilus adnumerandus est, Xenocrati maxime placuisse constat. cf. Münzer, Herm. 1895 (30) p. 505.

5) Plin. 35, 75

ille Zeuxidis aequalis atque aemulus vocatur[1]), hic olympiade CXII (332/29) floruisse dicitur. Quae ad aetatem artificum pertinent, Plinius utrum ex eodem fonte atque iudicia, quae quidem de eis profert secundum Xenocratem et Antigonum, sumpserit necne viri docti inter se dissentiunt[2]). Sed neque in Xenocratis neque in Antigoni libro quo fere tempore artifices vixerint indicatum fuisse, credibile non est. Praeterea autem in Apollodori chronicis post annum 144 et ante annum 138 editis clarorum artificum rationem habitam esse constat ex Diog. Laert. 6, 101 (fr. 112 Iac.) et 9, 61 (fr. 59 Iac.).

Sive igitur ex horum operum aliquo sumpta sunt, quae in hoc scholio leguntur, sive ex alio quodam eiusdem generis, ex fontibus optimis ea hausta esse posse nemo infitiabitur.

Commentarii priorum ratione alias non usitata vocantur τὰ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα, quae verba quomodo intellegenda sint, obscurum est. Similia praedicantur de commentariis in schol. Il. B 111. Ἀρίσταρχος ἐν ταῖς Λιταῖς ἐξηγούμενος „αὐτὰρ ἔπειτ' Αἴας τε μέγας“ (I 169) ἔν τινι τῶν ἠκριβωμένων ὑπομνημάτων γράφει ταῦτα κατὰ λέξιν· κτλ.[3]) schol. H 130 ἐν τοῖς ἐξητασμένοις (ὑπομνήμασιν) Ἀριστάρχου[4]). Illustravit haec Lehrs, de Aristarchi studiis Homericis² p. 22, cum duo genera commentariorum fuisse ostendit, quorum alii a grammaticis scripti et accurate elaborati, alii discipulorum in usum non ab omni parte perfecti erant; qui apud Athenaeum 83b et schol. Av. 1242 σχολικὰ ὑπομνήματα vocantur. Ad hanc differentiam commentariorum epitheton, quod hoc loco occurrit, ipsum quoque pertinere videtur. Quis autem est, quin ubi haec legat, de eo grammatico cogitet, qui ut priorum ὑπομνήματα colligeret et quae in eis invenerat, in unum opus congereret, officium sibi imposuit? Ut enim in scholiis Homericis ubi Didymi vestigia legimus, ubique ad ὑπομνήματα priorum delegamur, ita hoc quoque scholium ei grammatico

1) Plin. 35, 64.

2) Kalkmann, Quellen der Kunstgesch. des Plinius p. 14 seqq. ex Apollodori chronicis ea fluxisse putat, cui assentitur Weizsäcker WfklPh. 1899, 431, obloquuntur Detlefsen BphW. 1899, 366. Urlichs in Ilbergi annalibus 1899, 787. Münzer, Gött. gel. Anz. 1899, 978.

3) Schmidt, Did. frg. p. 113.

4) Schmidt. l. c. p. 131.

deberi viri docti verisimile esse dixerunt[1]). Contra quae ad sententias in illis commentariis expositas refutandas proferuntur, omnia ab eodem inventa esse aut a Didymo primo apposita esse, incredibile est.

Iam quaeritur, quid argumentorum illorum auctores de Pluti tempore senserint. Ex eis, quae de Pamphilo leguntur, quidquam effici posse negandum est. Ludwig[2]) quidem verborum ὁ δὲ Πάμφιλος νεώτερος ἦν Ἀριστοφάνους auctorem Plutum anno 408 actam esse censuisse putat. Sed legitur νεώτερος Ἀριστοφάνους non ὕστερον τῆς Πλούτου καθέσεως similia. Cum ex aetate atque operibus Pamphili argumentis bonis illorum interpretum errores aperti refutentur, cur e ratione anni 408 magis quam anni 388 ea inventa esse credendum sit, non intellego.

Certius de hac re iudicari posse videtur in eis quae tractanda restant. In commentariis enim illis in ancipiti relictum erat, utrum Pamphilus pictor esset an poeta tragicus. Hanc autem sententiam Euphronius Aristophanis Byzantii magister protulerat in commentario[3]), quem in Plutum scripsit, Callistratus Aristophanis discipulus in suo[4]) probaverat. Quorum sententiam ipsam quoque rectam esse negatur his verbis: ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται τραγικός. In Didascaliis igitur, ab Aristotele collectis ante certum aliquod tempus ne nomen quidem Pamphili legebatur. Qui liber, ut saepius fit[5]), sine auctoris nomine citatus quomodo et a quo compositus fuerit, diligentius nuper a viris doctis quaesitum est[6]). Singula, ne longius a pro-

1) Lehrs, de Arist. stud. Hom. p. 23. Cohn, RE V, 456.

2) p. 81.

3) cf. Cohnium RE VI, 1220 (7), quem fugit ab Euphronio commentarium in Plutum compositum esse teste lex. Messan. Rh. mus. 1892 (47) 411 f. 283 r 10: καὶ Θέων δὲ ἐν τῷ περὶ τῆς κ[ατὰ] διάλεκτον προσῳδίας φησί „ψᾷστον. ἐκτείνουσι τὸ ᾰ, ὡς Εὐφρόνιος ὁ γραμματικὸς ἐν ὑπομνήματι Πλούτου Ἀριστοφάνους. καὶ ἴσως ἐστὶ τὸ ψᾷστον παρὰ τὸ ψῇστον. γράφεται δὲ σὺν τῷ ῑ.“

4) cf. R. Schmidt, de Callistrato Aristophaneo p. 19 in Nauckii Arist. Byz. p. 325.

5) cf. Aristotelis fragmenta ed. V. Rose p. 388 seqq.

6) Reisch, RE V, 396. Wilamowitz, Göttinger gelehrte Anzeigen 1906, 617 seqq.

posito aberret oratio, non curamus. Necesse autem est, sumere sic eas dispositas fuisse, ut facili opera ea, quae in hoc scholio referuntur, statui possent. Quid igitur de Euphronio et Callistrato iudicabimus? Credat quispiam, aut inspicere illum librum eos omisisse aut inspicientes temporis huius fabulae rationem non habuisse. Welcker[1]) et Brunn[2]), cum erravisse eos sibi persuasissent, Pamphilum actorem tragicum fuisse, qui in Euripidis Heraclidis Iolaum male egisset, censuerunt. Propter ipsa Aristophanis verba contra hanc sententiam vix quicquam proferri potest. Quoniam Heraclidae octavo decennio saeculi quinti actae sunt[3]), fabulam brevi ante annum 388 aut Dionysiis aut Lenaeis iterum actam esse sumendum esset. Constat autem quarto a. Chr. n. saeculo fabulam παλαιάν, quae certaminis particeps non erat, ante ceteras tragoedias actam esse, cuius διδάσκαλοι vel παραδιδάσκαλοι Didascaliis testibus actores erant. Quamquam autem Euripidis Heraclidas saepius actas esse constat[4]), tamen a Welckero et Brunnio verum inventum esse, hodie negare licet. Tragoediae enim anno 386 demum iterum agi solere coeperunt. Atque de Dionysiis id certum est ex inscriptione quadam ab Adolfo Wilhelm nuper edita[5]). Nam ante hunc in lapide illo quae leguntur, ex apographo Pittakisii pessime confecto ex parte demum innotuerant[6]). Pertinent ad ea maxime, quae annis 388/7 et 387/6 magnis Dionysiis acta sunt, ita ut adnumeranda sint inscriptioni IG II, 971[7]), quam Fastos inscribi Wilamowitzius voluit. Sub nomine archontis Theodori (387/6) antequam enumerantur, qui in certaminibus lyricis superiores decesserunt, verba leguntur haec: παλαιὸν δρᾶμα πρῶτο[ν] | παρεδίδαξαν οἱ τραγ[ωιδοί]. Iam quinto saeculo fabulas iam actas interdum in scaenam theatri urbani iterum commissas esse constat, sed quotiescunque factum est, populiscito

1) Griech. Trag. p. 710.
2) Geschichte der griech. Künstler II², 89.
3) RE VI, 1257 (Dieterich).
4) Wilamowitz, Herm. 1882 (17), 582.
5) Österr. Jahreshefte 1907 (10), 35. cf. Anzeiger der Wiener Akademie, 4. Juli 1906 (p. 77).
6) Wilhelm, Urkunden p. 22.
7) Wilhelm, Urkunden p. 6.

opus erat, nisi ut omnes fabulae poetae alicuius, ut Aeschyli, iterum docerentur, populus permiserat, suntque, qui antiquas fabulas id genus novarum loco habitas et in certamen admissas esse putent[1]). Quarto saeculo mos ille mutatus est: fabula παλαιά, antequam certamen novarum fabularum incipiebat, actoribus ipsis curantibus agi solebat, quod opus peculiare in actis commemorabatur. Quo tempore consuetudo nova in comoediis Dionysiorum magnorum instituta sit, ex „fastis" anni 340/39[2]) scimus, ubi legitur:

[πα]λαιὸν δρᾶμ[α πρῶτον] | [π]αρεδίδαξα[ν οἱ]κ[ω]μ[ωιδοί][3]).

Eadem utrum Lenaeis omnino fuerit quarto saeculo necne nescimus. Apparet enim fontem unicum eius rei Didascalias esse[4]); ex harum autem fragmentis non nisi columnam dextram inscriptionis IG II, 972 certe ad tragoedias Lenaeorum pertinere perspectum est ab Udalrico Köhler, sinistram, eiusdem feriarum generis comoediis vindicanti Cappsio[5]) a viris doctis[6]) assensum non est. Ceterum dextra columna ad annos 420/19 et 419/8, sinistra ad duos annos tertii saeculi spectat, ita ut ex neutra de consuetudine quarti saeculi quidquam discamus. Sed utcumque haec se habent, Lenaeis non prius invaluisse illum morem quam magnis Dionysiis paene certum est. Nam Ericus Bethe, praeceptor venerandus, in Prolegomenis historiae theatri Attici p. 20 seqq. demonstrare conatus est, magnis Dionysiis tragoedias, Lenaeis comoedias plus valuisse. Cuius sententiae partem alteram amplector, alteram argumentis satis certis nondum fultam esse puto. Tragoediae enim partes Dionysiis graviores, Lenaeis leviores fuisse constat[7]). Si igitur omnino Lenaeis tragoediae παλαιαί actae sunt, post annum 386 demum id factum esse dixeris.

Quibus de causis Welckeri et Brunnii sententiam mittendam esse censeo.

---

1) Erwin Rohde, kleine Schriften II, 420.

2) Wilhelm, Urk. p. 27 in lapide anno 1897 reperto.

3) Restitutio verbi πρῶτον nunc certa est, cf. Wilhelm, Jahreshefte l. c. p 39. E. Bethe, BphW. 1906, 1323.

4) Wilhelm, Urk. p. 34—88.

5) Americ. journ. of arch. 1900 (ser. II vol. IV) p. 86.

6) Wilhelm, Urk. p. 53. Wilamowitz l. c. p. 627.

7) Wilamowitz l. c. p. 627.

In scholio, de quo agitur, Pamphilum tragicum poetam esse Euphronium et Callistratum putavisse legimus. Quorum testimonium a grammatico aliquo infringi mirum non esse videtur, quoniam et hunc et illum saepius erravisse constat. Atque de Euphronio repetenda sunt verba Streckeri (p. 11) „. . . cum Euphronius, quamquam in plerisque multum, si Lycophronem comparas, profecit, tamen in aliis egregie lapsus sit, factum est, ut ne ei quidem acerbi adversarii deessent“. Quae sententia confirmatur e. g. scholio Av. 997, ex quo versu

ἐγὼ Μέτων, | ὃν οἶδεν Ἑλλὰς χὠ Κολωνός

collegerat Metonem Colono in pago natum esse. Refutatus est a grammatico aliquo his verbis: τοῦτο μὲν οὖν ψεῦδος. Φιλόχορος γὰρ Λευκονοέα φησὶν αὐτόν[1]).

De Callistrati doctrina ad Aristophanem interpretandum adhibita is, qui fragmenta eius collegit, R. Schmidt p. 21 (327) hoc modo iudicat: „In qua (sc. doctrina) quamquam interdum a vero aberrasse deprehenditur, nemo tamen id huic grammatico vertat dedecori, qui meminerit, quot quantosque homines vel nostra aetate procax ille Gratiarum alumnus haerentes, desudantes, labentes derideat.“ Dubium non est, quin in eis locis, quibus lapsus est Callistratus, praeter Plut. 385 etiam Av. 997 numeratus sit a Schmidtio. Praeter ea enim, quae supra ex huius versus scholio commemorata sunt, ibi legimus Callistratum censuisse, anathema aliquod astrologicum in Colono fuisse. Quem refutare grammaticus quidam sibi videbatur: Philochorum enim de anathemate in Colono collocato nihil referre, anno autem Apseudis archontis (433/2) horologium a Metone in muro Pnycis exstructum esse memoriae tradere. Itaque grammaticos nonnullos Colono pago eo, qui μίσθιος vocaretur, Aristophanis temporibus Pnycem quoque comprehensam fuisse suspicatos esse, cuius parti ei, quae ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς inciperet, suis temporibus Colonus nomen esset. Tertius quidam ex ὁρισμοῖς τῆς πόλεως id falsum esse collegit, quippe qui Pnycem totam in pago Melite esse testentur. Ipse igitur Monotropi Phrynichi, quae fabula Dio-

---

1) cf. Wilamowitz, Aus Kydathen (Phil. Unters. I) p. 167.

nysiis anni 414 tertia fuit, loci cuiusdam memor, quo Meton vocatur ὁ τὰς κρήνας ἄγων, suspicatur aquae ductum (i. e. κρήνη) illum a Metone in Colono exstructum esse. Scholium ipsum corruptissimum est, neque huius loci est, quaestiones illas tractare. Sed nostra interest, in tanta grammaticorum dissensione sententiam Callistrati unice rectam esse post multum tempus cognitum esse. In isagoges enim in Arati Phaenomena ab Achille confectae excerptis Vaticanis[1]) fragmentum quoddam Aristophanis Daetalensium servatum est. Verba fiunt de caeli polis, verbum πόλος ab Arato masculino genere adhiberi monetur[2]): τηρητέον δὲ ὅτι ἀρρενικῶς λέγονται οὗτοι οἱ πόλοι. ὁ δὲ Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς Δαιταλεῦσιν ἐπὶ ἡλιοτροπίου[3]) τέθεικε τὸ ὄνομα τοῦ πόλου καὶ θηλυκῶς

πόλος τοῦτ' ἐστίν, ἧ 'ν Κολωνῷ[4])
σκοποῦσι[5]) τὰ μετέωρα ταυτὶ καὶ τὰ πλάγια ταυτί.

Unde efficitur anno 427 in Colono heliotropium fuisse. A Metone id exstructum esse, qui anno 433/2 eodem modo alibi civibus suis profuit, iure viri docti putaverunt. Quod igitur in scholiis Av. 997 legimus: φησὶ δὲ Καλλίστρατος ἐν Κολωνῷ ἀνάθημά τι εἶναι αὐτοῦ ἀστρολογικόν, recte eum interpretatum esse apparet.

Magis autem ad locum eum, quem nunc tractamus, illustrandum valet aliud quoddam exemplum diligentiae Callistrati. In Pindari enim carmine eo, quod Pythicorum secundum est, laudatur Hiero curru (vv. 4. 11) victoriam nactus. Grammatici veteres, quibus feriis id factum esset, nesciebant. In scholiis haec leguntur[6]): ἄδηλον δὲ εἰς ποῖον ἀγῶνα· διεστασίασται γὰρ οὐ μετρίως τοῖς πρὸ ἡμῶν. οἱ μὲν γὰρ οὐδὲ ὅλως ἐπίνικον αὐτόν φασιν εἶναι. Τίμαιος δὲ θυσιαστήριον, Καλλίμαχος δὲ Νεμεακόν, Ἀμμώνιος δὲ καὶ Καλλίστρατος Ὀλυμπιακόν, ἔνιοι Πυ-

---

1) Maass, Aratea p. 13. (Philol. Unters. XII.) Maass, commentariorum in Aratum reliquiae p. 62.

2) Quae sequuntur ex verbis traditis corruptissimis a Wilamowitzio et Maassio restituta sunt.

3) ἢ ἐπεὶ ἡλίου τροπίου cod.

4) ἡλικολωνῶ ἐν ὦ cod.

5) σκέπτουσι cod.

6) cf. Schroeder, ed. Pindar. praef. p. 63. Boeckh, Pind. II, 1, 312.

θικόν, ὡς Ἀπολλώνιος ὁ εἰδογράφος, ἔνιοι δὲ Παναθηναϊκόν. Ante Callistrati igitur aetatem iam Callimachus et Timaeus iudicia de carmine illo fecerant. Eum autem utriusque sententiam improbantem novamque proferentem iustis bonisque argumentis usum esse videre licet. Indicem enim victorum Olympiacorum ab eo inspectum esse non negabit, quicunque cogitaverit et Ammonium in eandem sententiam incidisse neque Callistratum ipsum fugisse, quam facile refutari posset, si illic non legeretur Hieronem curru vicisse. Ex fragmentis victorum indicis[1]) certius quam antea scimus anno 468 id factum esse[2]). Nihil ad rem, quod Callistratus errore deceptus est, cum carmen Olympicum primum ad eam victoriam pertineat. Nam vel ex errore eius, via ac ratione eum processisse cognosci potest.

Hanc autem quaestionem ab ea, de qua nos agimus, non admodum diversam esse in propatulo est. Videntur enim duo fieri posse: aut neque Callistratus neque Euphronius didascalias adhibuerunt, aut adhibuerunt Pamphilique nomen ante Pluti annum reppererunt, ita ut grammatici illius contradicentis verba alia interpretatione egeant. Iam per se vix credibile est Callistratum discipulum Aristophanis Byzantii, qui didascaliis ad tragoedias comoediasque illustrandas usus erat, eas neglexisse. Accedit alterum quoddam argumentum. Constat Euphronii errores a posterioribus grammaticis saepe correctos esse. Quorum adversariorum princeps fuit Callistratus[3]), quem non semel Euphronio oblocutum esse satis commode ex indice a Rutherfordio[4]) confecto intellegas. „Unde verisimile fit Euphronii librum a Callistrato ut Lycophronis

[1]) pap. Ox. II p. 89 l. 44: Ἱερον]ύμου συρακο[σίου τέθρι]ππον cf. Robert, Herm. 1900 (35), 169.

[2]) cf. schol. Ol. I, 1 (p. 16, 1 Drachm.). Pausan, 8, 42, 9. Diels, Herm. 1901 (36), 75. Schroeder, ed. Pind. praef. p. 63 ex. ἅρμα = τέθριππον. cf. Robert, l. c. p. 145.

[3]) Strecker p. 11.

[4]) In eo libro, qui inscribitur „a chapter in the history of annotation" p. 417.
nr. 57 = Str. fr. 141 = av. schol. 1378.
54 = Str. fr. 129 = av. schol. 933.
55 = Str. fr. 94 = av. schol. 997.
64 = Str. fr. 114 = vesp. schol. 604 cf. Fleck. ann. [1887, 531.
65 = Str. fr. 72 = vesp. schol. 675.

ab Eratosthene lectum et emendatum esse"[1]). Quo magis miramur eum, de quo agimus, locum, cum Callistratum erroris Euphronii participem invenire videamur. Strecker[2]) in eo acquievit, cum dixit: „quamquam plurimos eius (Euphronii) errores perstrinxit (Callistratus), tamen lenius in magistrum Aristophanis egisse videtur, siquidem nunquam tam graviter in eum invehitur, quam Eratosthenes in Lycophronem, ut etiam autoschediasma eius suum fecerit fr. 102 (schol. Plut. 385)." Haud scio an alia quaedam ratiocinatio praeferenda sit: Si Pamphilus poeta tragicus est, quin eius nomen in didascaliis fuerit, fieri nequit, cum ab Aristophane commemorari non posset, nisi Heraclidas in scaenam commiserat i. e. locum in didascaliis acceperat. Quodsi duo grammatici, qui dissentire solent, semel inter se consentiunt, suspicio nascitur, rem ab utroque statutam veram esse, praesertim cum errorem vitare facillimi fuerit negotii. Quod tamen alius quidam grammaticus in didascaliis ante Pluti annum Pamphili nomen esse negat, quin ipse quoque verum dicat, dubium non est, quippe qui ex fonte optimo summaque auctoritate digno se haurire confiteatur. Quoniam utrique adversario fidem habere debemus, fundamenta eorum ratiocinationis diversa esse credere necesse est. Invenimus supra grammaticos, qui Plutum nostram interpretentur, quasi anno 408 acta sit. Si igitur hoc quoque loco eum, qui verba ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται τραγικός scripserit, de anno 408, Euphronium et Callistratum de anno 388 cogitavisse sumimus, omnia optime se habent. Ante annum 408 in didascaliis tragicis Pamphili ne nomen quidem fuisse, inter annos 388 et 408 fuisse quominus credamus nihil impedit[3]). Quo iterum intellegitur, ante falsam sententiam rectam fuisse, scilicet grammaticos Alexandrinos scivisse Plutum eam, quae servata est, anno 388 actam esse.

A Ludwigio hoc scholium pp. 69—72 et p. 85 tractatur. Qui quoniam eius tantum grammatici verba accuratius in-

---

1) Strecker p. 9.

2) Strecker p. 11.

3) Pamphili poetae tragici nomen aliunde non notum est cf. Nauck, fr. trag.² p. 965 s. v. Ἡρακλεῖδαι.

spexit, qui priorum sententias refutavit, has autem ipsas neglexit, nihil profecit. Ceterum in hoc maxime scholio sententiam suam falsam esse cognoscere poterat, nisi parum cautus fuisset. Verba enim ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις κτλ. ad annum 408 spectare sibi persuasum habet. Unde sequi putat in didascaliis tragicum Pamphilum commemoratum fuisse, non quidem ante „hoc tempus", sed post. Non vidit Ludwigius post annum 408 sua quoque sententia fuisse id, quod Callistratum et Euphronium statuisse videmus: Pamphilum esse τραγῳδιῶν ποιητὴν καὶ διδάξαι Ἡρακλείδας.

Ex verbis scholii traditi quomodo grammatici errantes sententias priorum refutaverint, cognoscimus; quid ipsi hoc versu fecerint, non dicitur. Utrum igitur aliam interpretationem proposuerint (cf. schol. 972), an versum ab hac fabula alienum esse dixerint (cf. schol. 173 et 1146)[1]), an omnino priores redarguere satis habuerint, hodie disceptari nequit. — Libros ab eis adhibitos esse invenimus hos: didascalias et priorum commentarios. Quae de Pamphili et Apollodori imaginibus et de Pamphili aetate leguntur, ab eis, qui de anno 388 cogitabant, proferri potuisse diximus. In commentariis illis Euphronii et Callistrati quoque sententias commemoratas fuisse dicas, nisi forte unus et alter ex grammaticis errantibus eorum libros ipse inspexit.

---

[1]) vide capp. IV et V huius commentationis.

Caput IV.

De schol. v. 173.

Initio fabulae postquam Chremylus senecionem caecum, quem Delphis adduxit, Plutum deum esse comperit, ei lumen oculorum Aesculapii auxilio restituere consilium capit. Quominus autem ad templum statim proficiscantur, Pluti ipsius pertinacia impedimento est, qui ne tum a Iove iterum puniatur, metuit. Quare Chremylus Carione adiuvante ei demonstrare conatur, omnium rerum et humanarum et divinarum causam atque finem eo ipso contineri. Pecuniam enim ubique plurimum valere. Postquam argumenta ex vita cotidiana variisque artibus sumpsit[1]), inde a v. 170 usque ad v. 180 iocandi causa facta quaedam historiae illorum temporum commemorantur. Regem Persarum propter pecuniam superbire, Athenienses propter conventicium in contionem ire; pecunia remigium conduci, milites mercennarios Corinthi collocatos ali et quae seqq. In v. 173 igitur Chremylus Carionem[2]) interrogat:

τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;

Postquam bello Corinthiaco cum Thebanis et Atheniensibus Argivi, Corinthii Euboeenses minoresque civitates foedus icerunt, inde ab anno 394 ad Corinthum et in urbe ipsa pugnabatur. Cum totum per annum exercitum in armis esse oporteret neque socii tantum temporis a negotiis abesse possent, et ipsi faciebant, quod Agesilaus in Asia diu fecerat: militibus conducticiis bellum gerebant. Qui Iphicrate imperatore Corinthi collocabantur ibique alebantur.

---

[1]) De his versibus inter Chremylum et Carionem distribuendis cf. Suess, de personarum antiquae comoediae Atticae usu atque origine. diss. Giss. 1904, p. 91 seqq.

[2]) Sic codd. AUR², Carioni dat V.

Scholia, quae ad hunc versum servata sunt, separatim descripta huic commentationi addidi. Scholia BC ex verbis poetae sumpta esse apparet[1]. Contra quae sub litteris A et D collecta leguntur, ex fontibus optimis hausta sunt. In quibus manum mercennariam bello Corinthiaco ab eis civitatibus, quae belli Peloponnesiaci temporibus cum Lacedaemoniis societate coniunctae fuerint, Conone auctore Corinthum contractam ibique Iphicrate duce pugnantem altam esse refertur. Tamen utrum omnia ex eodem fonte fluxerint necne discerni nequit. Scholium D quidem ex Philochori vel Androtionis libro sumptum esse colligas ex Harpocrationis lexico s. v. ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ, cuius verba una cum scholiis exscripsi. Meiners p. 372 iure censuit Harpocrationis locum ex Didymo haustum esse; primum enim totius operis Harpocrationei fontem Didymi lexica esse constat[2], deinde illa verba arte cohaerent cum Didymi verbis s. v. Πολύστρατος[3] servatis. Neque tamen a Didymo primo hoc scholium appositum esse inde sequitur, quoniam ante Didymi tempora atthidographorum, qui vocantur, libros ad poetas scaenicos interpretandos adhibitos non esse demonstrari nequit. Schol. IV A ut ex Philochoro sumptum esse evincere Meiners cum schol. I D coniunxit. Sed cum in hoc ut in Philochori et Androtionis fragmento illo singula quaedam, in schol. IV A non nisi summa rerum brevissime enarrari videatur, iure illa scholia coniungi non puto. — Quae in schol. III A leguntur καὶ τὸ συμμαχικὸν ἐπανήθροιστο ἐν Κορίνθῳ, τὸ δὲ Λακεδαιμόνιον ἐν Σικυῶνι consentiunt cum eis, quae ex Xenophontis Hellenicis IV, 4, 1 post proelium apud Coroneam commissum evenisse scimus. Meiners p. 371 scholium Xenophonti ipsi deberi censuit, cum

---

1) cf. Meiners, quaestiones ad scholia Aristophanea historica pertinentes diss. Hal. XI, 371. Erravit Meiners, cum dixit, schol. VI eadem referri atque in schol. IV et I. Partem enim scholii VI cum priore parte scholii I consentire vides; sed altera pars schol. VI a schol. IV quanto distet, quicunque utrumque perleget, intelleget. Illius enim auctor Atheniensium numerum aliquem a Corinthiis mercede conductum esse suspicatus est, huius vera referre videtur.

2) cf. Blass, Herm. 1882 (17), 161. Wessely, Studien zur Palaeographie und Papyruskunde IV (1905), 111.

3) Schmidt, Did. fr. p. 310.

propter annum ut non certe fixum[1]), ita falsum atthidographo deberi nequeat. Quod mihi quoque ideo maxime, quod Corinthus et Sicyon similiter inter se opponuntur, probabile videtur esse. — In schol. V A descripta sunt verba Demosthenis or. IV, 24. Eundem locum a Didymo quoque cum hoc Aristophanis versu coniunctum esse ex Harpocrationis loco supra commemorato discimus. — Schol. II E orationis forma mutata apud Suidam s. v. ξενικόν et schol. Demosth. IV, 24 (cod. B)[2]) legitur. Quae proferuntur, ex Aristophanis verbis falso hausta esse videntur.

Ex scholiis adhuc tractatis collegimus haec: grammaticos antiquos, qui quidem ex poetae verbis inania confingere satis non habuerint, intellexisse ξενικόν huius versus esse exercitum mercennarium illum a sociis Lacedaemoniorum adversariis bello Corinthiaco in illa urbe collocatum.

Restat, qui examinetur locus difficillimus III F. Initio suppleto εἴρηται vel τοῦτό φησιν[3]) haec leguntur: „dictum est, quod Corinthii semper exercitu mercennario utantur, non, quod illo tempore utantur, quod nonnulli putaverunt. Interpretationem hanc rectam esse colligas inde, quod (aliquid) fertur in Pluto altera, quae a poeta vicesimo anno post docta est. Sed verisimile est hunc versum ex posteriore Pluto translatum esse. Ibi enim recte dictus est, quod bellum Corinthiacum erat tum, cum illa acta est“ et quae sequuntur.

---

1) Temporum ratio quae vera sit, intellegitur ex Andocidis oratione περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης ineunte vel medio primo anno Ol. 97 (392/1) habita i. e. tribus annis ante Plutum traditam (ed. Lipsius, praef. p. XI. cf. Stähelin, Clio V, 57). § 20: Βοιωτοὶ δ' αὖ πῶς τὴν εἰρήνην ποιοῦνται; οἵτινες τὸν μὲν πόλεμον ἐποιήσαντο ἕνεκα Ὀρχομενοῦ, ὡς οὐκ ἐπιτρέψοντες αὐτόνομον εἶναι, νῦν δὲ τεθνεώτων μὲν αὐτοῖς ἀνδρῶν τοσούτων τὸ πλῆθος, τῆς δὲ γῆς ἐκ μέρους τινὸς τετμημένης, χρήματα δ' εἰσενηνοχότες πολλὰ καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, ὧν στέρονται, πολεμήσαντες δ' ἔτη τέτταρα, ὅμως Ὀρχομενὸν ἀφέντες αὐτόνομον, τὴν εἰρήνην ποιοῦνται καὶ ταῦτα μάτην πεπόνθασιν.

2) Baiter et Sauppe, or. Att. II, 67 b 5. Dindorf, ed. schol. Dem. I, 154. Scholium est recentissimum, quod fortasse ex Suidae aut Aristophanis aliquo codice eo venit.

3) Talia verba saepe omittuntur cf. schol. II E:
schol. R Nub. 447. εἴρηται δὲ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ἀλώπεκος
schol. RV Nub. 531. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν λάθρα τικτουσῶν καὶ φοβουμένων γνωσθῆναι γυναικῶν.

— Quo in scholio tractando initium fiat a parte posteriore. Nam quae ibi leguntur et per se clariora sunt, quam ea quae initio, et perspectis his haud scio an illa facilius intellegantur. εἰ μή, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου τοῦτο μετενήνεκται. ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει κτλ. Inde quod hic versus ex posteriore fabula translatus esse dicitur, apparet fabulam eam, quam grammaticus tractet, ab illa diversam esse. Haec sententia alteri opponitur, quae in eis disseritur, quae antecedunt. Atque illa qualis sit usque ad verba χρόνον τοῦτον, quo argumento fulciatur, inde a verbis δῆλον ἐκ exponi videtur. Incipit ergo scholium ab his verbis: (τοῦτο εἴρηται) ὡς ἀεὶ ξενικόν τι ἐχόντων Κορινθίων, καὶ οὐχ, ὥς ἔνιοι, ἰδίως κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον. Hoc versu a poeta Corinthios semper exercitu mercennario utentes perstringi censet is, qui verba facit. Sed alii interpretes non item eum intellexisse videntur. Constat enim iam Aristarchum grammaticum eorum nominibus, quorum sententias afferebat, neglectis interdum simplici ἔνιοι vel τινές usum esse[1]). Qua de re lis sit, ex verbis ἀεί et κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον inter se oppositis cognoscitur. Ac suppletis eis, quae necessaria sunt, haec habemus in posteriore parte sententiae: <τοῦτο εἴρηται> οὐχ, ὥς ἔνιοι <φασίν, ὡς> κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον <ξενικόν τι ἐχόντων Κορινθίων>. Illi ἔνιοι igitur ad hunc locum adscripsisse videntur versum illum ab Aristophane in eam sententiam compositum esse, ut Corinthios non nisi eo tempore, quo fabula acta esset, exercitum mercennarium habere censeret. Sed cum sententiam eorum ex eius tantum verbis noverimus, qui eis oblocutus est, nos cautos esse oportet in statuendis eis, quae vere censuerint. Imprimis de sociorum exercitu quibus verbis usi sint, nescimus. Quod vero nunc legitur, a Corinthiis semper vel eo tempore, quo haec fabula acta sit, mercennarios adhibitos esse, certe id falsum est. Sed fieri potest, ut is, qui verba facit grammaticus minus curaverit, in cuius potestate illi esse dicerentur ab adversariis suis, cum maxime propter temporis rationem ab illis dissentiret. Fortasse igitur illi scripserant ὡς ξενικοῦ τινος ὄντος ἐν Κορίνθῳ κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον similiave. Suspicetur ergo quis-

[1]) cf. La Roche, Aristarchs hom. Textkritik I, 126 seqq. Diels, Berliner Klassikertexte I p. XXXIII.

piam eos hunc versum ad bellum Corinthiacum pertinere intellexisse, cum totam fabulam anno 388 actam esse sibi persuasissent. Neque tamen per se negandum est, illos ex verbis poetae ipsius haurire potuisse, Pluti aetatem non curantes. Primam enim legem esse in eiusmodi locis interpretandis constat, ut res commemorata eo tempore, quo fabula acta sit, fuisse credatur.

Quae ne ab eis quidem tolli poterat, qui illis ἐνίοις obloquebantur. Neque ita eis obloqui videntur, ut falsam eorum sententiam esse dicant, sed ita, ut quodammodo amplificari eam posse censeant. Sane id ut demonstrarent, aliunde argumenta afferre debebant. Quae verbis δῆλον δέ praemissis proferri videntur: δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. Ad suam igitur sententiam eo perductum se esse hic interpres confitetur, quod aliquid in Pluto posteriore legatur. Verba totius enuntiati ultima e ratione temporis fabulae eius, quae tractatur dicta sunt. Quare si quae tradita sunt sequimur, quin eorum auctor Plutum posteriorem ab hac diversam esse censuerit, dubium non est. Neque vero omnia verba ab omni parte perspicua sunt. Desideratur enim subiectum verbi φέρεσθαι. Sed hoc ipsum cum significet „legi", nihil nisi verbum vel versus aliqui subiecti munere fungi potest. Verisimile igitur est suspicari vel scire eum grammaticum praeter Plutum priorem, quam a se tractari putabat, in posteriore et ipsa hunc versum legi. Quare de duobus annis longo temporis intervallo inter se separatis idem statuendum erat, scilicet ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ illud fuisse. Quamquam hominis non cauti erat, inde colligere semper exercitum illum mercennarium Corinthiacum fuisse, tamen tale quid inde colligi potuisse vix negabis. Scholium ipsum fortasse hoc modo supplendum est: δῆλον δὲ <τοῦτο> ἐκ τοῦ <καὶ> ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι <τὸν αὐτὸν>, ὃς ἔσχατος κτλ.

Quamquam igitur verba δῆλον δὲ κτλ. sicut tradita sunt, quodammodo intellegi possunt, tamen quaerere necesse est, possintne rectae quoque sententiae accommodari, cum semper cavendum sit, ne ea, quae a serae aetatis interpretibus inventa aut in ordinem redacta sunt, antiquis eorum collegis tribuamus. Ut clarius dicam, quid velim, quaerendum est, possintne

verba δῆλον δὲ κτλ. ad argumentum id pertinere, quo ἔνιοι illi ad suam sententiam perducti sunt. Sane ita, ut nunc se habent, verba id praestare non posse apparet. Quomodo enim inde, quod hic versus in fabula ab hac diversa, quae viginti annis post acta est, illa interpretatio efficiatur, vix quisquam intelleget[1]. Exspectares enim haec ab eis proferri: ὡς ξενικοῦ ὄντος ἐν Κορίνθῳ κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον. δῆλον δὲ τοῦτο· ὁ γὰρ στίχος ἐν τῷ δευτέρῳ δράματι — i. e. in hac fabula — φέρεται. ἤδη γὰρ ὁ Κορινθιακὸς πόλεμος λεγόμενος συνέστη τρισὶν ἢ τέτρασιν ἔτεσι πρότερον et quae seqq.[2]. Verbis autem ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη plane ab antecedentibus seiunctis ea fortasse additis omissisque nonnullis ex eiusmodi enuntiato, quale sumpsimus, transformata esse concedas. Quod si verum est, ea sententia, quam modo dubitantes pronuntiavimus, pro certo stat, scilicet ἐνίους illos hanc fabulam posteriorem esse scivisse, quippe qui inde rectam et interpretationem et argumentationem sumpserint.

Iterum nunc inspicienda est posterior pars huius scholii, quae a verbis εἰ μή, ὅπερ εἰκός incipit. Interpretem hunc priorem Plutum legere sibi videri iam dictum est. Versum enim hunc ex posteriore huc translatum esse censet. Qua de causa id factum esse credendum sit, non dicitur[3]. Sed cur ab hac fabula alienum eum esse ille censeat, quamquam ne ipsum quidem legitur, tamen quin temporum ratione commo-

---

1) Itaque ea quoque improbanda sunt, quae Polakio placuerunt, qui l. c. p. 171 scribi vult: δῆλον δὲ <ὅτι> ἐκ τοῦ ἐν <τῷ> δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. Hoc modo eam argumentationem e coniectura (δῆλον ὅτι sc. τοῦτο οἴονται) ἐνίοις illis tribui non interest, quam ipsam non intellegere me confiteor, nisi forte nimia breviloquentia eum grammaticum usum esse dixeris, cuius verba sic vertenda sint: Offenbar (haben sie diese Meinung) auf Grund der Tatsache, dass der Vers im zweiten Plutus (den sie in dem vorliegenden Stücke sehen) steht, welcher (aber von diesem verschieden ist und) zwanzig Jahre später als letztes Stück vom Dichter aufgeführt ist.

2) cf. quae de his verbis infra p. 38 exponemus.

3) cf. schol. 1146 infra tractandum: τοῦτο οὖν ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκὼν ἐνθάδε ὀλιγωρῆσαι τῆς ἀλογίας ταύτης· ἢ καὶ αὐτὸς ὁ ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι ἀπὸ τῶν συνθηκῶν τῶν Ἀθήνησι γενομένων πρὸς τοὺς νκαταλαβότας <Φυλήν>.

tus sit, dubium non est[1]). Contra utrum in fabula „posteriore“ hunc versum esse pro certo sciat, an coniectura tantum illi eum vindicet, obscurum est. Eadem quaestio ad priorem partem scholii adhibita haud scio an disceptari possit. Cuius auctorem inde, quod eundem versum posteriori fabulae vindicet, ad eum quem tractet locum melius intellegendum nihil fructus percipere vidimus. Suspicio autem nascitur ad eam, quam proponit, interpretationem adductum eum esse, quod aliunde constabat, eundem versum illic legi. Magis enim facti alicuius rationem habere, quam coniectura aliqua suae causae auxilio venire videtur. Commemoratum autem esse hunc versum ut ex fabula posteriore sumptum propter ipsum ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ sive in opere aliquo ad historiam belli Corinthiaci pertinenti, sive in operibus, quae inscribebantur περὶ κωμῳδίας, veri non dissimile est[2]).

Quae restant tractanda scholii verba, quamquam per se facillime intelleguntur, tamen ne multa et varia perpessa hanc formam acceperint, verendum est. Venetus praebet ἔχει γὰρ ὀρθός. ὁ Κορινθιακὸς πόλεμος λεγόμενος συνέστη κτλ., Aldina ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει. ἤδη γὰρ ὁ Κορινθιακὸς πόλεμος συνέστη κτλ. Haec verba ut Musuro debeantur, fieri potest. Quem codicum lectiones interdum, ut melius intellegerentur, correxisse quamquam constat[3]), tamen singulis locis rarissime distingui potest, utrum verba reppererit, an ipse confinxerit. Primum igitur verba schol. Ald. intellegere conemur, priusquam ad scholium Veneti et quaestiones remotiores accedamus Cum verbo γάρ sententia illa cum antecedentibus coniungi videatur, sequi credas ea, quibus illud εἰκός quantum potest confirmatur. Versum hunc ab hac fabula alienum et ex „posteriore“ translatum esse dictum est; aut quomodo quaque de causa inde huc irrepsisse eum credendum sit, aut in „posteriore“ quidem recte eum stare demonstrari exspectes. Quare verba Aldinae sive codicibus Musuri, sive ipsi ei debentur, sensu non carent. — In „posteriore“ fabula versus optime se habere dicitur.

---

1) cf. schol. 1146 ἀλλά ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο οὐδὲ τά ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἤδη ἦν.

2) vide infra cap. XI.

3) Zacher, Hdschr. und Kl. p. 561.

De hac ergo nunc agitur; sequitur verbis ἤδη γάρ praemissis interpretatio versus eius, qui in Pluto posteriore legitur, quam ab ea, quae tractetur, fabula, diversam esse putari, si verba scholiastae sequimur, certum est. Illum versum pertinere ad bellum Corinthiacum, quod pluribus annis ante Antipatrum archontem coeperit, legimus. Tum enim sociorum exercitum Corinthi, Lacedaemoniorum Sicyone castra habuisse[1]). — Attamen cum appareat, hic proponi interpretationem eius, de quo agitur, versus rectam atque veram, in commentariis eorum grammaticorum, qui fabulam traditam anno 388 vindicarent, ut Euphronii et Callistrati, aut eum locum ipsum aut eius simillimum fuisse credere necesse est. Rectam autem sententiam cum ἔνιοι quoque in hoc ipso scholio nominati secuti esse videantur, suspicio nascitur interpretationem illam ex commentariis eorum fluxisse, quamquam neque in scholio ipso cum eorum, ut ita dicam, nomine coniuncta est neque ad eorum sententiam confirmandam adhibetur. Neque vero sine causa eos, qui scholia sibi tractanda elegerint, saepe quasi in tenebris errare monuimus, cum non solum singuli loci per se varie intellegi possint, sed etiam scripturis codicum inter se diversis magis magisque incerta et lubrica fiat tota materia. In codice enim Veneto omisso verbo ἐκεῖ legitur: ἔχει γὰρ ὀρθός i. e. ὀρθῶς. Quaeritur utrum illud verbum propter ἔχει vicinum scribae errore omissum an verbum γάρ ab imperito aliquo scholiasta insertum est. Ut enim nunc se habent, bonam sententiam vix ex eis verbis extricabis. Quodsi illud statuendum est, ad ea, quae de scriptura Aldinae modo exposuimus, reicimur. Sin hoc, verba ἔχει ὀρθῶς. ὁ Κορινθιακὸς πόλεμος λεγόμενος συνέστη κτλ. ab eo apposita esse videntur, qui sententiam redarguebat existimantium hunc versum ab hac fabula alienum esse. Sane singularis esset hic locus. Velim enim animadvertas, quamvis multis locis falsam sententiam defendi videamus, nullo eam reprehendi aut redargui. Unde haud scio an colligi possit, ratione accurata adhibita, scilicet ita, ut singuli loci examinarentur, impugnatam eam non esse, nisi forte omnia vestigia deleta esse credis. Restat igitur ut satis habuerint grammatici quidam, quod facilioris

---

[1]) De fonte huius loci cf. p. 33 huius commentationis.

sane quidem operae erat, hoc illo loco falsam reprobare rectamque defendere. In quibus hic quoque locus fortasse numerandus esset.

Iam operae pretium erit, eorum opiniones examinare, qui huic loco intellegendo adhuc operam dederunt. Ac primum quidem Heldermanni[1]) rationes Ludwigius p. 67 sic collegit: „Quid dicit scholiasta? Corinthios, quia hic versus in Pluto posteriore legatur, semper milites mercennarios aluisse putandos esse, non, ut nonnulli censuerint, illo tantum tempore; sed etiam melius haec verba explicari posse, si ea ex posteriore Pluto translata esse statuatur. Quo autem translata sunt ex posteriore Pluto haec verba? In eam scilicet, quam legebat scholiasta, fabulam, quam posteriorem esse dixerat. Haec corrupta esse et aliquo modo emendanda quis est, quin intellegat?“ Qua de causa Heldermannum scripsisse δῆλον ἐκ τοῦ ἐν τῷ προτέρῳ φέρεσθαι. Bambergius l. c. p. 403 iam monuit sententia ea, quae sequatur: ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ᾽ αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον illam coniecturam refutari. Neque tamen coniectura solum futtilis est, sed etiam argumenta. Quae sane magis Ludwigii quam Heldermanni cum propria esse videantur, statim ad illum nos convertamus. Ludwigius igitur scribi vult: δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν προτέρῳ φέρεσθαι. εἰ μὴ, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου τοῦτο μετενήνεκται, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ᾽ αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει. Heldermanni igitur coniectura respectis eis, quae Bambergium offenderunt, a Ludwigio quoque proponitur. Sed ἐν προτέρῳ (δευτέρῳ codd.) de ea Pluto dici a grammatico, quam legat, probabile non esse ex eis, quae supra exposita sunt, apparet. Grammaticum enim illum Plutum priorem tractare sibi videri Ludwigium censere vix monere opus est. Versione igitur eius utar mutata secundum coniecturas: „Corinthii quia hic versus in Pluto priore legitur, semper milites mercennarios aluisse putandi sunt, non, ut nonnulli censuerunt, illo tantum tempore“. Hocmodo si re vera grammaticus aliquando ratiocinatus esset, sane caderent, quae supra statuimus, scilicet legem esse, ut, si quod factum in versu comico commemoretur, nihil inde effi-

---

1) Heldermann, quaestiones de Aristophanis Pluto. cf. A. v. Bamberg, Fleck. ann. 1867 (95), 401.

ciatur, nisi factum id eo tempore fuisse, quo fabula scripta aut acta sit. Quare verbis in codicibus scriptis ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι eam fabulam a grammatico significari, quam ipse legat, non credo. Praeterea quodammodo offendit, quod sententiam ὃς — ὕστερον totam transferre necesse est. Meiners l. c. p. 371 a. 55, qui in universum cum Ludwigio consentit, id veri dissimile esse ratus eo demum tempore illa verba addita esse suspicatus est, cum iam corruptum erat προτέρῳ in δευτέρῳ. — De sententia ἐνίων illorum et de verbis ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει κτλ. verba facere Ludwigium omisisse facile credis.

Caput V.

De schol. v. 1146.

A Pluto potestatem recuperatam esse non solum homines sed etiam dei sentiunt: horum ex numero Mercurius a Iove irato missus, qui Pluto poenam denuntiaret, mox mandati oblitus sibi ipsi veniam a Carione, cui primo occurrit, petit. Commonet eum, quanta cum ab omnibus hominibus, tum ab eo ipso sibi debeantur, quoniam ut dominum decipiens lateret saepe effecerit. Cario respondet primum Mercurium id fecisse, ut lucri particeps fieret, deinde nihilominus saepius convictum se vapulasse. Mercurius argumentis destitutus exclamat:

(1146) μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες,
ἀλλὰ ξύνοικον πρὸς θεῶν δέξασθέ με.

Optime illustratur hic locus Aristotelis rep. Ath. 39, 6, ubi enumerantur condiciones pacis, quae optimates inter et plebem anno Euclidis (403/2) convenit: τῶν δὲ παρεληλυθότων μηδενὶ πρὸς μηδένα μνησικακεῖν ἐξεῖναι πλὴν πρὸς τοὺς τριάκοντα καὶ τοὺς δέκα καὶ τοὺς ἕνδεκα καὶ τοὺς τοῦ Πειραιέως ἄρξαντας, μηδὲ πρὸς τούτους, ἐὰν διδῶσιν εὐθύνας cf. Xen. Hell. 2, 4, 43. Andoc. 1, 80. 90. Aesch. 2, 176; 3, 208. Corn. Nep. 8, 3, 2. Quamquam autem partes, quae facta erant, oblivisci constituerant, tamen pro natura atque ingenio humani generis fieri non poterat, quin cives meminissent, utram partem illis annis hic ille secutus esset. Cuius rei Lysiae orationes testimonia egregia praebent. Atque cum post foedus populares plurimum in re publica valerent, maxime ei, qui anno 403 in urbe remanserant, multa patiebantur, et, qui apud iudices sive accusant sive se defendunt, eos inde argumenta sumentes videmus, quod adversarius illis temporibus aut in urbe fuerat aut

fugerat[1]). Ab optimatium parte qui steterant, quamquam se defendere coacti illa tempora non tangere malebant, tamen interdum ad supplicandum confugisse eos credas. Simili modo hoc in versu Mercurius anno 403 se a parte optimatium, Carionem a plebe fuisse fingit.

Scholia[2]) apud Duebnerum leguntur tria, quorum tertium προεγράφη ὄπισθεν ἡ ἱστορία κτλ., in quo ab Hemsterhusio ex codice Lugduno-Batavo excusso ampla verborum mole adhibita Thrasybuli reditus populique reconciliatio narratur, recentissimum Byzantinum esse inde intellegitur, quod verbum ὄπισθεν nonnisi illis temporibus idem est atque „supra“[3]). Quae enim demonstrantur, adscripta sunt ad v. 550. Ne alterum quidem scholium hic in censum venit, quippe in quo paraphrasis falsa cum rectis commiscens legatur. Quare nonnisi primum scholium hic describam: (codd. VΘ Ald.) <τὸ χ> ὅτι μετὰ τὸ κατελθεῖν τοὺς μετὰ Θρασυβούλου Φυλὴν καταλαβόντας καὶ νικήσαντας ἐν Πειραιεῖ τοὺς τριάκοντα, ψηφίσασθαι ἔδοξε, μὴ μνησικακῆσαι καθάπαξ ἀλλήλοις μηδὲν τοὺς πολίτας. ἀλλὰ ταῦτό γε οὔπω ἐπέπρακτο οὐδὲ τὰ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἤδη ἦν, ἀλλὰ καὶ ὡς Φιλόχορός (fr. 123 FHG I, 403) φησιν „πέμπτῳ ἔτει ὕστερον[4]) τῆς Θρασυβούλου γενομένης Κριτίας (γενομένης. Κριτίας V) ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ.“ τοῦτον (Θ, τοῦτο Ald., τούτων V) οὖν ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκὼν ἐνθάδε ὀλιγωρῆσαι τῆς ἀλογίας ταύτης, ἢ καὶ αὐτὸς ὁ ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι ἀπὸ τῶν συνθηκῶν τῶν Ἀθήνησι γενομένων πρὸς τοὺς καταλαβόντας <Φυλήν suppl. Kusterus>. Φυλὴν δὲ τὸν δῆμον, ἀφ’ οὗ Φυλάσιοι. συνέθεντο γὰρ μετὰ τὸ μεταγαγεῖν μὴ μνησικακῆσαι. Φυλὴ δὲ τόπος οὕτω καλούμενος (συνέθεντο — καλούμενος om. Ald.).

Initio scholii, ut fieri solet, perierunt verba τὸ χ. In scholiis a nobis tractatis et mox tractandis eadem nota recurrit ad v. 1194 et v. 179[5]). Constat signo χ grammaticos antiquos inde a primo fere a Chr. n. saeculo usos esse, ita

---

1) cf. Lys. 25, 1 seqq. (anni 400); 28, 12 (a. 389); 26, 2 (a. 382).

2) cf. Meiners p. 354.

3) cf. Lehrs, Pindarscholien pp. 81, 101.

4) ὕστερον — γενομένης V. ὕστερον μάχεται μετὰ Θρασυβούλου γενομένου ἢ (γενομένους omisso ἢ Θ) Ald. Θ.

5) cf. pp. 6, 48 huius comment.

ut eis locis, quos in commentariis explicaturi erant, in editione illud signum affigerent. In commentariis interpretationes incipiebant a verbis τὸ χ ὅτι, τὸ χ πρὸς (e. g. τὸ ἔθος), σεσημείωται, τὸ σημεῖον ὅτι. Symmacheum quoque commentarium ea nota instructum fuisse, ex quo scholia Aristophanea fluxerunt, colligas ex schol. Av. 1705 Σύμμαχος· <τὸ χ> πρὸς τὸ ἔθος ὅτι οὐ (suppl. Schauenburg) μετὰ τῶν ἄλλων (suppl. Schauenburg) σπλάγχνων ἔτεμνον τὴν γλῶτταν[1]). Unde apparet scholia, in quibus talia exordia legantur in iis numeranda esse, quae genuinae formae, scilicet ei, quae a scholiasta primo ex commentariis sumpta sit, proxima sint, si non in omnibus verbis, tamen in eis, a quibus initium fit.

Scholium totum in duas partes dividitur. In priore recta huius versus interpretatio proponitur, i. e. ea, quam supra exposuimus. Contra, quin verba ἀλλὰ ταῦτά γε κτλ. ei debeantur grammatico, qui Plutum anno 408 vindicaverit, dubium non est, quoniam quae in hoc versu commemorentur, cum fabula acta sit, nondum facta esse statuitur. E ratione anni 408 hoc sane verum est, cum anno 403 lex illa περὶ τοῦ μὴ μνησικακῆσαι sancta sit. Praeterea loci Philochorei natura ea est, ut a rectae sententiae sospitatoribus apponi non potuerit.

Qui in ea parte libri quarti historiae Atticae olim legebatur, in qua de factis anni quarti Ol. 92 (409/8) a scriptore referebatur. Critiam enim, quem in proeliis anni 403 cecidisse constat, quinque annis post mortuum esse commemoratur. Quoniam autem verba Philochori a viris doctis non satis intellecta esse videntur, paulo accuratius de eis disputare necesse est. Verbi igitur γενομένης subiectum deest. Quod variis modis ab Hemsterhusio, Dukero, C. Muellero, Dindorfio, Polakio, Leeuwenio, Ludwigio, Meinersio suppletum est. Examinare proderit eam quam Eduardus Meyer[2]) proposuit coniecturam: πέμπτῳ <μηνὶ> ὕστερον τῆς Θρασυβούλου <καθόδου εἰς Φυλὴν oder ähnlich> Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ. Verba τῆς Θρασυβούλου καθόδου cum genetivi comparationis munere fungi appareat[3]),

---

1) cf. Schauenburg, de Symmachi in Aristophanis interpretatione subsidiis. diss. Hal. 1881 p. 5.

2) Geschichte des Altertums V p. 39. cf. Reuss, Burs. Jahresber. 127, 78.

3) cf. Kuehner-Gerth, gram. Graec. I, 386, 391.

hoc modo vertendum est: quinto mense post Thrasybuli reditum Critias in Piraeo mortem occubuit. Neque vero Meyer, quid Philochori locus in hoc scholio sibi velit, aut ex quo libro Philochori[1]) sumptus sit, quaesivisse videtur. Tantum enim abest, ut hic grammaticus quando Critias mortuus sit, demonstrare velit, ut quinque annis — non mensibus — post Pluti prioris annum Thrasybulum in patriam rediisse testimonio confirmare studeat. Quicunque autem haec verba perlegit, eo loco Philochori, ex quo sumpta sunt, non de Thrasybulo actum esse, sed de Critia intellegit. Huius enim nomen enuntiati subiectum est. Verba τῆς Θρασυβούλου γενομένης non genetivi comparationis, qui vocatur, sed temporis et absoluti sunt[2]). Interpretis huius autem, quo tempore Critias mortuus esset, ideo tantum intererat, quod aetas reditus Thrasybuli cum illo congruere a Philochoro dicebatur. Cogitandum igitur est alio consilio atthidographum haec verba scripsisse, alio grammaticum ea adhibuisse. Quibus de causis vel hoc certum esse videtur verba scriptoris non post ὕστερον demum, sed ante πέμπτῳ incipere. Nam ex ea parte operis Philochorei, in qua facta anni 404/3 narrabantur, aptiorem sine dubio locum grammaticus descripsisset. Praeterea Φιλόχορος πέμπτῳ ἔτει ὕστερον <φησὶν> κτλ. a citandi usu grammaticorum haud scio an abhorreat.

Fortasse investigari quoque potest, qua de causa Critias a Philochoro commemoratus sit. Plynteriis anni 409/8 (25. Thargel. i. e. Junio mense anni 408) Alcibiades Athenas revertit[3]), postquam septem per annos patriam vitavit; Critias, ut revocaretur, rogationem ad populum tulerat, necnon elegia

---

1) Sequi videtur Muellerum, qui FHG I, 403 fr. 123 hunc locum ipse quoque Philochori anno 404/3 (Ol. 94, 2) vindicavit.

2) cf. Kuehner-Gerth, gram. Graec. II, 2, 80.

3) cf. Xen. Hell. 1, 4, 12. Plut. Alc. 34. Mommsen, Feste der Stadt Athen 493 seqq. Quo anno Alcibiades Athenas reverterit, propter tempora in primis libris historiae Xenophonteae parum accurate indicata incertum esse inter omnes constat. cf. Lohse, quaestiones chronologicae ad Xenophontis Hellenica pertinentes diss. Lips. 1905 p. 3 seqq. Busolt, Griech. Gesch. III, 2, 1529 seqq. Equidem in hac quaestione eam sententiam defendo, quam plerique v. dd.

clarissima hoc facto gloriatus est[1]). Itaque Critiam quoque in eorum numero fuisse verisimile esse dicas, quibus fretus Alcibiades, postquam naves appulit, in solo patrio pedem posuit, cum antea paulisper dubitavisset[2]). Quod fieri potuisse negant E. Meyer[3]), G. Busolt[4]) alii, qui Critiam anno 410 Cleophonte auctore in exsilium eiectum esse censent. Sed eis, quae afferuntur, testimoniis[5]) nihil demonstratur, nisi Critiam illo viro auctore ante annum 406/5 in exsilium missum in Thessalia vixisse. Cleophontem vero inde ab anno 410 usque ad 405 apud populum Atheniensem plurimum valuisse constat[6]). Itaque mihi quidem verisimilius esse videtur una cum Alcibiade, qui ut revocaretur, effecerat, Critiam anno 407 eandem atque illum sortem perpessum esse[7]). Quare, quominus Critiam Alcibiade anno 408 revertente Athenis fuisse et partes quasdam egisse credamus, nihil impedire videtur. Eis autem, qui anno 408 in exsilio eum fuisse putant, demonstrandum est, quomodo Philochorus sub Dioclis nomine in historia Attica de eo copiosius agere potuerit, qui illo tempore plane seiunctus erat ab eis, quae Athenis fiebant. — Neque vero nunc quemquam esse puto, quin Alcibiadem anno 408 Athenas redeuntem cum Thrasybulo anno 403 idem faciente quodammodo conferat. In utriusque reditu Critias partes quasdam egit. Fortasse igitur a Philochoro Critias ibi commemoratus est, ubi de Alcibiadis reditu verba fecit. Ceterum Alcibiades mense Junio anni 408 Athenas rediit, Critias fere Maio mense anni 403[8]) cecidit,

---

1) Plut. Alc. 33. Bergk, PLG II^4 p. 282, fr. 3. 4.

2) Plut. Alc. 32. οὐ πρότερον ἀπέβη τῆς τριήρους πρὶν στὰς ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ἰδεῖν Εὐρυπτόλεμόν τε τὸν ἀνεψιὸν παρόντα καὶ τῶν ἄλλων φίλων καὶ οἰκείων συχνοὺς ἐκδεχομένους καὶ παρακαλοῦντας.

3) Gesch. d. Alt. IV, 611.

4) Griech. Gesch. III, 2, 1542.

5) Xen. Hell. II, 3, 15; 3, 36. Mem. I, 2, 24. Aristot. rhet. 1, 15 = 1375 b 31.

6) cf. e. g. Busolt, Gr. Gesch. III, 2^2, 1535. 1632.

7) Idem suspicati sunt J. Beloch, Gr. Gesch. II, 117. Nestle in Ilbergi ann. 1903, 86.

8) Busolt, Herm. 1898 (33), 85. Quomodo Meyer, Alte Geschichte V, 38 coll. p. 19 ex Xen. II, 4, 21 coll. II, 3, 1. Martium mensem effecerit, non intellego.

ita ut quinquennium a Philochoro accuratissime computatum sit. Itaque illud fragmentum hoc fere modo supplendum est: πέμπτῳ ἔτει ὕστερον τῆς Θρασυβούλου <καθόδου> γενομένης Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ. — Qua de causa mors Critiae a Philochoro sub anno 409/8 commemorata sit, dici nequit. Fortasse, quantopere Critias tum in favore populi fuisset, describenti ei in mentem venit eiusdem contra populum pugnantis et cadentis. Sed ne quis inde argumenta contra sententiam expositam capiat, monere liceat minime a Philochori consuetudine abhorrere factum anni 404/3 sub anno 409/8 proferre. Velut in fragmento in Didymi commentario col. 7, 36 servato, quod ex ea parte historiae Philochori sumptum est, in qua facta anni 397/6 enarrabantur, res quaedam anni 394 afferuntur[1]).

Quae in Ald. et Θ leguntur πέμπτῳ ἔτει ὕστερον μάχεται μετὰ Θρασυβούλου γενομένου (γενομένους Θ) ἢ (om. Θ) Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τελευτᾷ scholiastarum ingeniis deberi videntur verba Philochori corrupta emendare conantium.

Grammaticos eos, qui „priorem" Plutum interpretentur, mirari vidimus, quod in hac fabula commemorentur, quae quinque annis post acciderunt. Quod cum fieri nequeat, eum versum postea insertum esse censent. Duae autem huius rei rationes proponuntur. Quarum altera est a nescioquo eum ex fabula posteriore huc translatum esse, inscio quam ineptus in fabula anno 408 acta legeretur. Eadem in schol. 173 III F supra[2]) inventa est. Alterius auctor a poeta[3]) insertum eum

---

[1]) cf. Stähelin, die griechischen Historikerfragmente bei Didymus. Clio 1905 (5), 56. Boeckh, kleine Schriften V, 404.

[2]) cf. p. 33 huius commentationis.

[3]) Hemsterhusius ed. p. 438 b (= 609 b Dr.) verba ἢ καὶ αὐτὸς ὁ ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι „spuria et aliena" esse censuit. Memorabilia argumenta eius: „si enim in secunda refictae novataeque fabulae commissione Aristophanes ipse, quod iure suo poterat, inseruit, quid attinebat absonam movisse difficultatem? nulla utique est ἀλογία, cum poeta comoediam, quae non steterat, reficiens multaque mutans, ea immiscet, quae cum praesenti rerum statu congruunt". Hoc modo ratiocinari non licet. Ex omnibus enim locis, quibus falsa sententia defenditur, elucet illos grammaticos hanc fabulam anno 408 actam, minime anno 388 repetitam esse censere. Quare ne hic quidem locus a ceteris eorum rationibus abhorrere videtur.

esse putat commoto reconciliatione populi anno 403 facta. Quod in editionibus post illum annum confectis illum fecisse credere necesse erat. In actis fabulis a poetis interdum haec illa mutata esse grammatici antiqui sibi persuaserant; cf. e. g. schol. Ran. 1206[1])

Αἴγυπτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,
ξὺν παισὶ πεντήκοντα ναυτίλῳ πλάτῃ
Ἄργος κατασχών

Ἀρχελάου αὕτη ἐστὶν ἡ ἀρχή, ὥς τινες. ψευδῶς. οὐ γὰρ φέρεται νῦν Εὐριπίδου λόγος οὐδεὶς τοιοῦτος. οὐ γάρ ἐστι, φησὶν Ἀρίσταρχος, εἰ μὴ αὐτὸς μετέθηκεν ὕστερον, ὁ δὲ Ἀριστοφάνης τὸ ἐξ ἀρχῆς κείμενον εἶπε. — Utraque ratio utrum ab eodem grammatico prolata sit, an diversis auctoribus debeantur, disceptari nequit.

In scholii initio recta huius versus interpretatio legitur. Quae cum eis, quibus falsa exponitur, verbis ἀλλὰ ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο coniuncta est. Quamquam haec ipsa scholiastis deberi verisimile est, tamen nihil impedit, quominus eandem interpretationem aliis fortasse verbis expressam et in eo commentario, ex quo scholia fluxerunt — in quo in universum falsam sententiam expositam fuisse vidimus[2]) — lectam esse et olim in commentariis grammaticorum annum 388 defendentium fuisse credamus.

---

1) Eurip. fr. 846 p. 636 Nauck². cf. Wilamowitz, Eurip. Hercules I¹, 42. — Similia in schol. v. 1028 de Persarum Aeschyli editione duplici cf. Schoenemann, Rh. Mus. 1887 (42), 467.

2) p. 38.

Caput VI.

De schol. v. 179.

Eodem modo atque in v. 173[1]) in v. 179 a Pluti dei adversariis pertinacia eius argumentis ex historia illius aetatis sumptis impugnatur. Philonides enim a Laide propter divitias, quas habeat, amari dicitur:

ἐρᾷ δὲ Λαῒς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;

Laidem autem initio quarti saeculi clarissimam meretriculam fuisse constat[2]).

In Aldina sola hoc scholium traditum est:

<τὸ χ> ὅτι Ἀριστοφάνης οὐ λέγει σύμφωνα κατὰ τοὺς χρόνους· ληφθῆναι γάρ φασιν αὐτὴν ἐν Σικελίᾳ πολιχνίου τινὸς ἁλόντος ὑπὸ Νικίου ἑπτέτιν· ὠνηθῆναι δὲ ὑπὸ Κορινθίου τινὸς καὶ πεμφθῆναι δῶρον τῇ γυναικὶ εἰς Κόρινθον. ἵνα δὴ ἐπὶ Χαρίου (Χαβρίου Ald.) τις ταῦτα γενέσθαι δῷ, ὅτε εὖ ἔπραττον Ἀθηναῖοι ἐν Σικελίᾳ. ἔστι δὲ ἕως Διοκλέους (409/8) ἔτη ιδ΄, ὥστε ἄλογον διὰ ὀνόματος αὐτὴν ἐπαινεῖν (ἐπαίρειν Ald. corr. Hemst.) ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φάονι (Φαίδρῳ Ald. corr. Meineke) ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθέντι (διδαχθῆναι Ald. corr. Hemst.) ἐπὶ Φίλοκλέους (392/1) (Διοκλέους Ald. corr. Hemst.) ὡς μηκέτι αὐτῆς οὔσης. δύναται μέντοι καὶ αὐτῆς ζώσης λέγεσθαι.

Ante ἵνα δή a Dindorfio lacuna indicata est, quod verbum ἵνα non habet, quo referatur. Apparet interpretem demonstrare velle Laidem anno Dioclis a poeta comico perstringi non potuisse, quoniam puella quattuordecim annorum fuerit. Neque vero in fonte suo, quo anno nata esset, invenisse videtur, sed anno Chariae (415/4) septimum annum eam egisse.

---

1) vide p. 31 huius commentationis.

2) cf. Pauly RE vol. IV, 734.

Quare quin natalis ille ratione inventus olim ante verba ἔστι δὲ ἕως Διοκλέους lectus sit, dubium non est[1]). Itaque haec fere olim lecta esse puto: ἵνα δὴ ἐπὶ Χαρίου τις ταῦτα γενέσθαι δῷ, ὅτε εὖ ἔπραττον Ἀθηναῖοι ἐν Σικελίᾳ <ἐπὶ Ἀλκαίου (422/1) γενέσθαι αὐτὴν οἴεσθαι χρή>. ἔστι δὲ ἕως Διοκλέους ἔτη ιδ΄. Omnia nunc optime cohaerent; et ἵνα habet, quo referatur, et terminus, a quo anni usque ad Dioclis computantur, praesto est.

Quae de vita Laidis hic scripta leguntur, ex Polemonis libro quodam fluxisse videntur item atque, quae apud Plutarchum Nic. 15 et Pausaniam 2, 2, 4. 5 inveniuntur; cf. Ath. XIII, 588 b . . Λαΐδος τε τῆς ἐξ Ὑκκάρων· πόλις δ' αὕτη Σικελική, ἀφ' ἧς αἰχμάλωτος γενομένη ἧκεν εἰς Κόρινθον, ὡς ἱστορεῖ Πολέμων ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον. cf. Ath. XIII, 589 a[2]).

In hoc igitur scholio primum legimus poetae iocum ad Laidem pertinentem tempori non respondere ei, quo haec fabula acta sit. Laidem enim meretriculam Dioclis archontis anno (409/8) quattuordecim annos egisse. Sed meretriculam tot annorum vix Athenis nominatim perstrictam esse. Nemo dubitabit, quin auctor huius ratiocinationis is sit, qui nostram Plutum anno 409/8 vindicaverit[3]). Ad difficultatem autem illam removendam plura remedia ei se obtulisse credendum est: aut Laidem hic nominatam a clarissima meretricula diversam esse, aut eius nomen pro alio quodam insertum esse. — Sed pergunt scholia: rursus Platonem comicum in fabula quadam anno 392/1 acta, quasi Lais mortua sit, verba facere. Haec quanquam cum eis, quae praecedunt, verbis δὲ καί et ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον coniuncta sunt, tamen quid e

---

1) Eadem suspicatus esse videtur Leeuwen p. XXV. Nihili sunt, quae Polak protulit p. 172. cf. similem computationem schol. Pac. 990.

2) cf. Kalkmann, Pausanias der Perieget p. 151. Holm, Geschichte Siziliens im Altertum II, 410. Freeman-Lupus, Gesch. Siziliens III, 588.

3) Bergk, rell. com. Att. p. 402 verba illa sic interpretatur: „Redarguere igitur voluit grammaticus eorum sententiam, qui haec ex **priore** Pluto in posteriorem translata esse opinabantur, cum dicit ἔστι δὲ ἕως Διοκλέους ἔτη ιδ΄ (hoc est ab eo anno, quo nata est, usque ad Dioclis praeturam anni sunt quattuordecim) ὥστε ἄλογον διὰ ὀνόματος αὐτὴν ἐπαίρειν." Neque vero in hac parte scholii de versibus transportatis agitur; sed ubi verbum μεταφέρειν legimus sc. scholl. 173, 1146, semper de versibus ex „**posteriore**" in „priorem" fabulam translatis dicitur.

ratione anni 408 prolata eorum sententia sibi velit minime clarum esse videtur. Eius enim, qui illi anno hanc fabulam vindicat, quid Laidi post eum acciderit, interesse negaveris, praesertim cum eius nomen in v. 179 falso legi censeat. Contra si in commentariis eorum grammaticorum, qui annum 388 defenderunt, fuisse hanc adnotationem sumimus, statim quo spectet, intellegimus. Si enim duobus ante Pluti actionem annis mortua est, ut viva anno 388 commemorari non potest.

Quamquam igitur prior pars scholii in hoc, posterior in illo commentariorum genere melius se habere videantur, tamen dubium non est, quin utraque adnotatio in utroque fuerit. Atque quomodo, quae initio leguntur, e ratione anni 388 proferri potuerint, luce clarius est, dummodo computationem ibi institutam errantibus grammaticis deberi recorderis. Haec enim quasi exstructa est in his verbis scholii: ληφθῆναι γάρ φασιν αὐτὴν ἐν Σικελίᾳ πολιχνίου τινὸς ἁλόντος ὑπὸ Νικίου ἑπτέτιν. ὠνηθῆναι δὲ ὑπὸ Κορινθίου τινὸς καὶ πεμφθῆναι δῶρον τῇ γυναικὶ εἰς Κόρινθον. Quae ex Polemone sumpta una cum eis, quae postea de Platonis fabula leguntur, ex libro aliquo, qui inscribitur περὶ ἑταιρῶν, hausta esse possunt, qualem cum alii tum Callistratus[1]) scripserant; ab hoc e. g. in quaestione nostra annum 388 defensum esse suspicati sumus[2]). Neque ab usu virorum doctorum et horum et antiquorum temporum abhorrere videtur, cum hoc Pluti loco nomen aliquod legatur, paucis expositum esse, quid aliunde de ea femina sciatur. Itaque falsae sententiae sospitatores in priorum grammaticorum commentariis haec quoque invenisse, non ex ipsis fontibus hausisse verisimile est.

Quorum cur ea, quae in posteriore parte scholii leguntur, scire interfuerit, haud scio an respectis scholiis 173 et 1146 intellegatur. Nam cum ibi quoque commemorari viderentur, quae ea aetate, qua fabula acta est, non poterant, postea vero poterant, fortasse difficultati ita mederi in animo habuerunt, ut hunc versum ex fabula posteriore translatum esse dicerent. Sed quominus id factum esse crederetur, impedimento erat, quod cum anno 392/1 mortua esse Lais diceretur,

1) cf. R. Schmidt, Callistrati fragm. in Nauckii Aristoph. Byz. p. 328.
2) vide supra p. 29.

ne in illa quidem fabula eo modo mentionem eius fieri potuisse in commentariis priorum grammaticorum legebant. Omnia igitur, quae in hoc scholio proferuntur, quamquam aperte anni 408 ratio habetur, a rectae sententiae defensoribus primis adscripta huic loco esse possunt.

Quamquam eis, qui annum 408 defendebant, non minus quam adversariis eorum difficultates obstare videntur, quomodo aut hi aut illi eas e medio tollere conati sint, frustra quaerimus.

Versus Platonis, ex quibus grammaticus aliquis effecerat Laidem mortuam esse, olim hic adscriptos fuisse necesse est. De interpretatione eorum nos iudicare nequire dolendum est. Ambiguam enim eam fuisse cognoscitur ex verbis δύναται μέντοι καὶ αὐτῆς ζώσης λέγεσθαι. Verbum ζώσης oppositum est antecedentibus μηκέτι οὔσης. Hic igitur grammaticus interpretationem illam improbat et ex versibus illis Laidem illo anno iam mortuam fuisse intellegi posse negat. Mireris, quod ultra ea, quae fieri possint, procedere ille non audeat. Ad disceptandam enim hanc quaestionem maxime intererat, utrum fabulis post annum 392/1 actis Lais ita perstringeretur, ut eam tum vixisse appareret necne. Talia argumenta huic grammatico praesto fuisse non videntur. Neque unquam ea fuisse verisimile est. Si enim recte omnia, quae de Laidis vita in hoc scholio leguntur, libro cuidam ex numero eorum, qui περὶ ἑταιρῶν inscribuntur, deberi suspicati sumus, quae de morte Laidis proferuntur, vera esse putandum est. Cum enim meretricularum et nomina et res maxime ex fabulis comicis cognosci possent, totum genus illorum librorum semper cum studiis comicis coniunctum erat ab eisque pendebat. Propter numerum fabularum paene inexhaustum fieri non poterat, quin illorum studiorum principes multa fugerent, ita ut mirum non sit, a Gorgia et Apollodoro, qui ipsi quoque harum feminarum catalogum confecerant, multas meretrices enumeratas esse, quas Aristophanes Byzantius in libro omisisset[1]). Eadem de causa omnes locos, quibus singulae commemorarentur, statim ab initio congeri potuisse negaveris. Iam vero cum interpretatio versuum Platonicorum eiusmodi libro deberi

1) Ath. XIII, 583d.

videatur, sumendum est ab eius auctore fabulam post annum 392/1 actam, in qua viva Lais perstringeretur, inventam non esse. Quod non nullius momenti est, cum de meretricula praeter Phrynen fortasse Graeciae clarissima agatur, quae comicis poetis iocandi occasiones sine dubio permultas dedit.

Cum igitur de fide illarum interpretationum quodammodo iudicari posse videatur, alia quaedam plane incerta atque obscura remanent. Primum enim quaeritur, utrum auctor verborum δύναται μέντοι κτλ. in scholiastis an in falsae aut rectae sententiae sospitatoribus numerandus sit. Deinde utrum interpretationem illam rectam esse infitiari satis habuerit, an ea, quae inde effecta erant, ipsa quoque perverterit. Sed quod Polak[1]) illa verba delenda esse censet, ratione carere mihi videtur.

Ceterum vestigia earum quaestionum, quas in hoc scholio detegere nobis videbamur, apud Athenaeum quoque inveniuntur. Cuius in libro ἐρωτικῷ (XIII) 592c haec leguntur: . . . καθάπερ καὶ Ἀλκιδάμας ὁ Ἐλαίτης ὁ Γοργίου μαθητὴς ἔγραψεν καὶ αὐτὸς ἐγκώμιον Ναΐδος τῆς ἑταίρας. τὴν δὲ Ναΐδα ταύτην Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Φιλωνίδου βιαίων — εἰ γνήσιος ὁ λόγος — ἐρωμένην φησὶ γενέσθαι Φιλωνίδου γράφων ὧδε· „ἔστιν οὖν γυνὴ ἑταίρα Ναῒς ὄνομα, ἧς Ἀρχίας κύριός ἐστιν, ὁ δὲ Ὑμέναιος ἐπιτήδειος, ὁ Φιλωνίδης δ᾽ ἐρᾶν φησιν.“ μνημονεύει αὐτῆς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Γηρυτάδῃ· μήποτε δὲ κἀν Πλούτῳ, ἐν ᾧ λέγει·

ἐρᾷ δὲ Λαῒς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;

γραπτέον Ναῒς καὶ οὐ Λαΐς.

Fontem illorum capitum Athenaei si quaerimus, apparet ex libro vel ex libris, qui inscribuntur περὶ ἑταιρῶν vel περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων sim., ea sumpta esse, quorum nonnulla ab eo citantur: Aristophanis Byzantii (567a, 586f); Callistrati (591d); Apollodori (567a, 586b, 591c); Ammonii (567a); Antiphanis (567a, 586b, 587b); Gorgiae Atheniensis (567a, 583d, 596f). Tamen quominus illum quoque locum ex eiusmodi libro sumptum esse ab Athenaeo confidamus, impedimento sunt lexica Harpocrationis et Photii Suidaeque, quorum in

1) l. c. p. 172.

fontibus epitomen quandam ex Harpocrationis opere confectam numerandam esse constat[1]). Ubi haec leguntur:

Harpocratio s. v. Ναΐς (I, 209, 13 Dind.) ἑταίρα τις· Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Φιλωνίδου, εἰ γνήσιος, καὶ Ἀριστοφάνης Γηρυτάδῃ· μήποτε δὲ καὶ ἐν τῷ Πλούτῳ, ὅπου φησὶν ὁ κωμικός·

ἐρᾷ δὲ Λαΐς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;

γραπτέον ἦν διὰ τοῦ ν Ναΐς.

Photius s. v. Ναΐς· (I, 205, 11 P.) ἑταίρα τις· μέμνηται Λυσίας καὶ Ἀριστοφάνης.

Suidas s. v. Ναΐς (II, 1, 930 B.) ἑταίρα τις, ἧς μέμνηται Λυσίας καὶ Ἀριστοφάνης.

Cum Harpocrationis lexicum inter et Athenaei opus, maxime ubi de meretricibus poculorumque generibus agitur (e. g. cf. Harp. s. vv. Ἄνθεια c. Ath. XIII, 586 e; Λαγίσκα c. Ath. XIII, 592 d; Νάννιον c. Ath. XIII, 587 b; Λυκιουργεῖς c. Ath. XI, 486 c seqq.), magnus intercedat consensus, ita ut verba saepe eadem apud utrumque legantur, viri docti alii, ut Dindorf[2]), Athenaeum ab Harpocratione adhibitum, alii ut Naber[3]), Diels[4]) utrumque eodem fonte usum esse censuerunt. Sane hoc illo verisimilius est ideo, quod in aliis quoque rebus permultis, quibus illi non consentiunt, Didymi vestigia apud utrumque pellucent[5]). Aut ex huius copiis ipsis aut ex aliorum grammaticorum operibus, quibus chalcenterus compilatus erat, eos hausisse dixeris[6]).

Cum qua de causa illa coniectura opus sit, neque apud Athenaeum neque apud Harpocrationem legamus, propter Lysiae locum illum inventam eam esse, quo et ipso Philonides

[1]) cf. Wentzel, Beiträge zur griechischen Lexikographie Berl. S. B. 1895, 480.

[2]) Harpocrat. vol. I p. XXI vol. II p. 342.

[3]) Phot., proll. 107.

[4]) Berliner Klassikertexte I p. LI.

[5]) Ex Didymeo in Plutum commentario sumpta sunt, quae legimus apud Ath. II, 67 c: Ἀριστοφάνης δὲ ἐν Πλούτῳ φησίν·

ὄξει διέμενος Σφηττίῳ (v. 720)

Δίδυμος δ' ἐξηγούμενος τὸ ἰαμβεῖόν φησιν „ἴσως διότι οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς.

[6]) De Pamphilo Athenaei fonte cogitavit J. Schoenemann, de lexicographis antiquis, qui rerum ordinem secuti sunt. Hannover 1886 p. 78 seqq. cf. Bapp, comment. Ribbeckianae p. 253 seqq.

quidam meretrice aliqua familiariter usus esse dicitur, fortasse suspiceris. Sed ut eum reprehendere solemus, qui coniecturis aliquem locum inquinat, quem sanum esse persuasum habemus, ita ne hunc quidem versum propter Lysiae verba mutatum esse nisi emendationem flagitavisset, censeo. Quae vero difficultas in eo sit, ex scholiis cognovimus. Sane utrum ab eis qui annum 388, an eis, qui annum 408 defenderint, prolata sit coniectura illa, disceptari nequit. Fortasse ab illis inventa deinde ab his recepta est.

Dindorf, Meineke, vVelsen, Leeuwen e ratione anni 388 eam propositam esse rati Ναΐς pro Λαΐς in v. 179 Pluti scripserunt. Quod num iure fecerint, valde dubito. Si enim apud Lysiam de eadem meretricula facta sunt verba atque in Gerytade Aristophanis, qua in fabula eam perstrictam esse testatur Athenaeus, Naidis pro Laidis inserendum esse nomen veri dissimile est. Ex Pluto enim tradita, in qua duobus locis (179 et 302) commemoratur, eam meretriculam, quaecunque est, clarissimam fuisse et negotia eius floruisse cognoscas. Gerytadem autem Aristophanis anno 407 actam esse probavit H. Usener in Fleckeiseni ann. 1889 (139), 375. Primum enim argumentum eius fabulae Ranarum erat simillimum; deinde Agathon poeta, qui ante annum 405 (cf. Ran. v. 84)[1]) in Macedoniam ad Archelaum regem transmigravit, mordaciter in illa fabula perstrictus est. Naidem igitur anno 407 iam claram fuisse necesse est. Sed per viginti annos gloriam eius aequam fuisse, quin etiam nonnisi magna pecunia meretriculae quadraginta fere annos natae amorem venisse veri dissimile esse quis negabit?

Ludwigius, quippe qui omnes Pluti servatae interpretes antiquos priorem fabulam interpretari se putavisse sibi persuaserit, ne hoc quidem loco singulas rationes examinavit, sed haec apponere satis habuit (p. 68): „Sua igitur sententia etiam is (scholiasta) priorem Plutum tractabat, id quod nisi per se facile e scholii capite (ὅτι Ἀριστοφάνης οὐ λέγει σύμφωνα κατὰ τοὺς χρόνους) eluceret, vel ex eis confirmaretur

---

1) Herc. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'σθ'; Dion. ὅπου 'στ'; ἀπολιπών μ' οἴχεται, ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις.

verbis, quae sunt: ἔστι δὲ ἕως Διοκλέους ἔτη ιδ' ὥστε ἄλογον διὰ ὀνόματος αὐτὴν ἐπαίρειν. ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθέντι ἐπὶ Φιλοκλέους".

Rectius sine dubio iudicavit Leeuwen, qui in praefationis parte quinta (p. XXIV) verbis ὅτι Ἀριστοφάνης — ἄλογον διὰ ὀνόματος αὐτὴν ἐπαίρειν haec subscripsit: „Sic olim secum reputavit, qui Diocle archonte (anno 408) fabulam actam arbitrabatur. Sed multo melioris sunt frugis, quae deinde in scholio non de natali Laidis anno disputantur, sed de fatali; quae qui scripsit, sciebat fabulam datam esse anno 388. Et sic demum intellegitur, quae hoc loco non recentiores aliquos grammaticos, sed priscos illos Alexandrinos detinuerit ἀπορία: „anno 388 non amplius inter vivos fuisse Laidem teste quodam Platonis comici loco" et scholii initium quomodo scribendum sit, apparet; non poetae illic nomen, quod talibus locis non additur, est Ἀριστοφάνης, sed grammatici, qui demonstravit temporum rationi non convenire, quae habeat textus traditus. Legamus igitur „<τὸ χ> Ἀριστοφάνης, ὅτι οὐ λέγει σύμφωνα κατὰ τοὺς χρόνους." signum χ Aristophanes Byzantius huic versui appinxit, quod temporis rationi haec adversentur. Dein, omissis quae supra exscripsi, subiungantur haec „ἐμφαίνει γὰρ (δὲ καὶ cod.) Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι διδαχθέντι (ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθῆναι cod.) ἐπὶ Φιλοκλέους ὡς μηκέτι αὐτῆς οὔσης" nam in Phaone Platonis, quae anno 391 data est fabula, mortua Lais dicitur."

Summam verborum ad Laidis mortem pertinentium lucem optimam accipere, si anni 388 rationem habere credantur, recte sine dubio Leeuwen statuit. Neque crimini ei vertendum est, quod partem scholii, quae unde orta sit, scire sibi videtur, delendam esse censuit. Minime autem probanda sunt, quae de initio corrigendo protulit. Nam „talibus locis nomen poetae non addi" nihil valet, quoniam a scholiasta aliquo vel scriba constantis usus imperito facillime inseri potuit. Similia alias quoque inveniuntur: Rhes. schol. v. 251 (II, 332, 7 Sch.) κέχρηται δὲ καὶ νῦν Εὐριπίδης τῇ παροιμίᾳ παρὰ τοὺς χρόνους[1]) schol. Eur. Med. 1346 (II, 211, 22 Sch.) ὅτι δοκεῖ τὸν στίχον

1) cf. Wilamowitz, de Rhesi scholiis p. 11.

τοῦτον εἰπὼν Εὐριπίδης ἐκβεβλῆσθαι. διὸ κεχίασται[1]); schol. Arist. Thes. 760 ἐνταῦθα ἀπέδωκεν ὁ Ἀριστοφάνης τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς, ἧς ἥρπασε τὸ παιδίον ἤτοι τὸν ἀσκὸν ὁ κηδεστής. Indicium igitur, quod dicitur externum, quo Leeuwen quasi ansa usus est, cadit. Coniectura autem, quam proposuit, vix multis placebit[2]). Signum χ enim iam Aristophanis Byzantii temporibus fuisse ab eo sumitur ne commemorata quidem sententia eorum, qui temporibus eius grammatici multo recentioribus id inventum esse censent[3]). Sed de hac quaestione agere cum ab hoc loco alienum sit, monere haec satis habeo: cum signum χ a grammaticis Alexandrinis antiquioribus adhibitum esse adhuc demonstratum non sit — ne a Susemihlio quidem — Leeuwenii coniectura mittenda est.

In cantico Carionis et chori inde a versu 302 Philonides et meretricula ea, quae in v. 179 nominatur, iterum illuduntur, cum Philonides cum Ulixe, meretrix cum Circa comparatur. In scholiis quin sub Circae nomine Lais perstringatur, dubium movetur nullum. Neque vero ad quaestionem nostram haec pertinent, quoniam quae hic leguntur, merae sunt paraphraseis ex poetae ipsius verbis adhibito v. 179 posterioribus temporibus haustae.

In calce huius capitis adiciam pauca quaedam propter Ludwigium (p. 84) et Polakium (p. 171) de scholiis ad Philonidem pertinentibus. De quo in Aldina haec leguntur: Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν, ὡς οἱ περὶ Καλλίστρατον ἐν τῇ ὁμωνυμίᾳ πλανηθέντες· ἀλλὰ παιδιᾶς ἕνεκεν τὸν αἴσχιστον καὶ ἀπαίδευτον· κωμῳδεῖται δὲ ὡς εὔπορος καὶ ὡς μέγας τῷ σώματι καὶ ἠλίθιος; sequuntur exempla ex Galatea Nicocharis, Philyllii quadam fabula, Laio Platonis, Aphrodisiis Theopompi sumpta. — Hoc scholium ut cum ea quaestione, quam nunc tractamus, con-

1) cf. Ath. XIII p. 582 cd. Ubi historiola ea narratur, ad quam hoc scholium pertinet.

2) Eiusdem generis coniecturas proposuit Leeuwen in ed. Lysistr. p. 164. adn. ad vv. 1217—1220.

3) cf. Susemihl, Geschichte der alex. Lit. 1, 435. Roemer, bayr. Abh. phil. hist. Kl. XIX, 661. Lehrs, Pindarschol. p. 104. Wilamowitz, de Rhesi schol. p. 10.

iungerent illi vv. dd. eo fortasse commoti sunt, quod in schol. 385 quoque supra tractato Callistrati nomen occurrit. Sed in schol. 179 neque grammaticus ille neque adversarius eius propter tempora sententiam suam protulisse videntur. Ut enim hunc ex libro aliquo, qui inscribitur περὶ κωμῳδουμένων, hausisse apparet, ita eum Philonidem nominari, qui ex hominibus cognominibus notissimus[1]) erat, suspicatum illum esse credibile est. Neque id crimini ei vertendum est. Nomina enim κωμῳδουμένων, qui dicuntur, tunc primum colligi et disponi coepta sunt, cum initium factum esset a meretriculis. Velut ab Aristophane Byzantio et Callistrato eiusmodi libros compositos esse diximus. Contra libri, qui περὶ κωμῳδουμένων inscribuntur, fortasse non ante Ammonium[2]), Aristarchi discipulum, editi sunt. Quare non minus facile, ut Callistratus in hac re a vero aberraret, fieri poterat, quam ut posterior aliquis eum refutaret.

---

1) Simili de re Callistratus reprehenditur in schol. Vesp. 157 (V) ἀλλ' ἐκφεύξεται Δρακοντίδης] πονηρὸς οὗτος καὶ πλείσταις καταδίκαις ἐνεχόμενος, ὥς Πλάτων Σοφισταῖς. Καλλίστρατος δὲ ἕνα τῶν λ' φησίν, εἰ μὴ ὁμώνυμος. ἔστι γὰρ οὗτος ὁ τὸ περὶ τῶν λ' ψήφισμα περὶ ὀλιγαρχίας γράψας, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Πολιτείαις. (resp. Ath. cap. 34, 3 = p. 37, 16 Ken.)

2) cf. Susemihl, Fleckeis. ann. 1889 (139), 751 seq.

Caput VII.

De schol. v. 550.

Chremylo et Blepsidemo ad Aesculapii fanum proficiscentibus Penia dea obviam it, ut eos, ne consilium suum exsequantur, impediat, cum pollicetur, se eis demonstraturam esse omnium rerum auctorem hominibus paupertatem exstare. A v. 487 certamen metro anapaestico incipit. Postquam causa accurate definita est, Penia, quanta detrimenta divitiae omnium communes secum ferant, enarrat. Plura et graviora eis toleranda esse, qui sub illius imperio sint, Chremylus respondet. Cuius verborum colore horribili perterrita adversaria (v. 548):

σὺ μὲν οὐ τὸν ἐμὸν βίον εἴρηκας, τὸν τῶν πτωχῶν δ' ἐπεκρούσω.
Χρε. οὐκοῦν δήπου τῆς πτωχείας πενίαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν;
Πεν. ὑμεῖς γ' οἵπερ καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὅμοιον.
ἀλλ' οὐχ οὑμὸς τοῦτο πέπονθεν βίος, οὐ μὰ Δί', οὐδέ γε μέλλει.

Paupertatem inter et egestatem multum interesse negari posse ab eis tantum Penia censet, qui de rerum differentiis falso iudicare soleant, qui velut Thrasybuli ingenium, naturam, consilia non diversa esse a Dionysii Siculorum tyranni putent. Dubium non est, quin Thrasybulus sit Stiriensis, cuius ad res gestas eo, quo Plutus posterior acta est, tempore omnes Athenienses animos attendebant. Vere enim anni 389 cum quadraginta navibus Athenis profectus erat. In Thracia, in insulis, in Asia Lacedaemoniorum praesidiis expulsis imperia nobilibus adempta popularibus reddebantur vectigaliaque imponebantur. Multum temporis praeterierat, ex quo tot victorias imperator Atheniensis reportaverat. Sed cum rebus bene gestis Thrasybuli a multis invideretur, non deerant, qui imperatorem felicem victoriis ad suam rem potestatemque augendam uti apud populum credulum dicerent. Exemplum

statuisse septendecim annis ante Dionysium Syracusanum, qui dum patria in periculo versaretur, summam imperii nactus tyrannidem occupavisset. — Constat inter omnes Thrasybulum non multo post, ut rationem redderet, revocatum et, postquam eo populiscito neglecto Asiam pervehi perrexit, ab Aspendiis necatum esse.

Ad v. 550 quae scholia servata sunt, in calce huius opusculi invenies. Sub littera A collecta paene inter se consentiunt: Dionysium enim in illo versu commemoratum Siciliae tyrannum esse legimus, Thrasybulum Lyci filium patriae amantem esse, siquidem a triginta tyrannis eam liberaverit. In schol. VII A leguntur haec: ὁ δὲ Θρασύβουλος ἀτελὴς καὶ πένης, πλὴν θρασύς. Scribendum est εὐτελής cf. Athen. II, 40 e τελεῖν γὰρ τὸ δαπανᾶν καὶ πολυτελεῖς οἱ πολλὰ ἀναλίσκοντες καὶ εὐτελεῖς οἱ ὀλίγα. Eustath. p. 881, 24 = Schwabe, Ael. Dion. et Paus. fragm. p. 210. τέλος γάρ, . . ., ἀνάλωμα καὶ τάξις καὶ ἀρχὴ καὶ γάμος. καὶ ἐκ μὲν τοῦ δηλοῦντος τὸ ἀνάλωμα γίνεται. ἀτελῆ κατὰ Παυσανίαν τὰ ἀδάπανα, ὡς καὶ πολυτελῆ τὰ πολυδάπανα. ἐντεῦθεν δὲ καὶ εὐτελὴς ὁ φειδωλός, . . ., καὶ ὀλιγοδάπανος, ὡς πολυτελὴς ὁ πολυδάπανος. cf. Suid. s. εὐτελής.

Scholium IV D in duas partes dividi apparet. Et prioris quidem auctor Dionysium et Thrasybulum propter oris formam a poeta illudi suspicatus est. Alterius interpretis cum, quid ὑμεῖς illi commisissent, interesset, adscripsit verba sagacitate haud abundantia <τοῦτο εἴρηται>[1]) ὡς ὁμοιούντων <αὐτῶν> σφόδρα ἀνομοίους. In Aldina mendum creberrimum ἀνομοίως legitur. A scriba aliquo non ad ὑμεῖς sed ad Peniam loquentem pertinere putatum esse testatur ὁμοιούσης codicis V. Quibus de causis recte neque Dobraeus et Dindorfius posteriorem partem delevisse, neque Hemsterhusius ἀνομοίως probasse aut Meiners p. 227 ὁμοιῶν scripsisse videntur. De usu verbi ὡς c. gen. in scholiorum elocutione coniuncti cf. e. g. schol. Nub. 824 ὅπως δὲ τοῦτο μὴ διδάξεις μηδένα] ὡς ἐπὶ τούτῳ φθονούντων τῶν διδασκάλων.

Eorum, quae sub littera C collecta leguntur, scholiorum gravissima sunt II et III. Pauca quaedam ad rem criticam

---

1) vide p. 33.

pertinentia de Polyzeli versibus adicienda sunt. In v. primo in V legitur χ' ὁ non ὁ, quod Dindorf[1]). In v. altero codices exhibent χραιδόνα, quod verbum aliunde non notum est. Dindorf imposuit χλίδωνα sumptum ex Aristoph. fr. 320, 7 (CAF I, 474), in quo γυναικεῖα φορήματα enumerantur. Τρύφημα cum ex eodem Aristophanis loco vestem esse colligeret, Kockius scribi voluit τρύφημ' ἅμα. Sed ex duobus locis, quibus praeter hos servatum est hoc verbum, colligitur τρύφημα esse delicias: Eur. Iph. Aul. 1050 Ganymedes vocatur Διὸς λέκτρων τρύφημα φίλον et apud Alciphronem epist. I, 27 (p. 73 Herch.) Anicetus ad Phoebanen: τί γὰρ οὐ τῶν ἐμῶν λαβοῦσα ἔχεις, οὐ σῦκα, οὐ τυρὸν ἐκ ταλάρων, οὐκ ἔριφον νεογιλόν, οὐκ ἀλεκτορίδων ζεῦγος, οὐ τὰ λοιπὰ τρυφήματα πάντα ἐστί σοι ἐξ ἐμοῦ. — In versu tertio post Ἀθηναίων in codice legitur αἴδι, quod esse αι δι(φορούμενον) in verbo Ἀθηναίων intellexit Jacoby (apud Meinekium CGF V, 58). In versus exitu Meineke, quem secutus est Kock, recepit Dindorfii μακαρίζεται, quod is in V legere sibi videbatur. Non mirati sunt viri docti, quod idem in cod. G (Veneto 475) βαυκαλίζεται legi refert, quamquam ipse in praef. ed. Ox. Aristophanis scholiorum vol. 1 p. IV G ex V descriptum esse intellexerat[2]). Verbum βαυκαλίζεται enim rarissimum est neque nisi in lexicis inveniri videtur. Meineke his verbis difficultatem solvi putavit: „huius libri (G) auctoritatem nullam esse docuit Dindorfius p. IV“. Res aliter se habet. In cod. V legitur βαυκαλίζεται. Sane verbum βαυκαλίζεται propter metrum ferri nequit. Itaque Dindorfius βαυκίζεται in eo latere putavit, quod cum rarissimum sit verbum a scriba verborum βαυκαλία vel βαυκάλιον posterioribus temporibus admodum tritorum[3]) memori corruptum esse videtur. Nam cum sententia versuum Polyzeli optime congruit. Cf. Alexidis (Tarentinorum) fr. 222 (CAF II, 379).

ἀλλ' ἐπὰν δὴ τὸν γόητα Θεόδοτον
ἢ τὸν παραμασύντην[4]) ἴδω τὸν ἀνόσιον

---

1) In tabula scholiorum pro χὸ legas χ' ὁ.
2) cf. Zacher, Handschr. und Klassen p. 545.
3) cf. lexicum Ducangii s. βαυκαλία.
4) parasitum.

βαυκιζόμενον τὰ λευκά τ' ἀναβάλλονθ' ἅμα,
ἥδιστ' ἂν ἀναπήξαιμ' ἐπὶ τοῦ ξύλου λαβών.

cf. Polluc. 4, 100

βαυκισμός, Βαύκου ὀρχηστοῦ κῶμος ἐπώνυμος. ἁβρά τις ὄρχησις καὶ τὸ σῶμα ἐξυγραίνουσα.

Bekk. anecd. Gr. p. 225[1])

βαυκίδες· ὑπόδημα πολυτελὲς γυναικεῖον. καὶ βαυκὸν δὲ τρυφερόν. σημαίνει καὶ τὸ θρύπτεσθαι βαυκίζειν.
βαυκιζόμενον· τρυφερὸν καὶ ὡραϊστήν.
βαυκίσματα· τρυφερεύματα.

In forum enim unguentarium cotidie iuvenes desidesque nugandi causa convenisse constat (cf. Wachsmuth, Stadt Athen II, 483). Ubi Dionysium illum aliquid commisisse credas, quo commotus poeta eum lascive saltavisse dicat. παρ' Ἀθηναίων cum ἔχων coniungendum est, quod quominus fiat, spatio latiore interposito non impedimur.

Verba scholii V (III C) ὁ δὲ μαινόμενος καὶ ὡς ἔοικεν ἰχθυοπώλης ex versibus Polyzeli hausta esse in propatulo est. μαινόμενος enim in eis ipsis legitur, verbi ἰχθυοπώλης fons esse videntur ἐν τῷ μύρῳ. Forum enim piscatorium cum apud poetas comicos tritissimum sit, et quia pisces Atheniensibus esca erat iucundissima et quia salsamentarii pretiis maximis saepe populum ira implebant[2]), fieri poterat, ut scholiastae parum attenti si de foro aliquo rerum venalium agitur, de salsamentariis verba fieri putarent. Scholii Aldinae (II C b) auctor verba Polyzeli cum ipse non inspexisset, ὁ δὲ μαινόμενος καὶ, ὡς ἔοικεν, ἰχθυοπώλης de duobus hominibus dici arbitratus scripsit Διονύσιος ὁ μέν τις φαίνεται μαινόμενος, ὁ δὲ, ὡς ἔοικεν, ἰχθυοπώλης. Hoc modo discrimen scholiorum melius solvi videtur quam eo, quem Ludwig p. 72 aut Meiners p. 227 ostenderunt. Uterque verba Aldinae genuina esse ratus, quae in Veneto legantur, corrupta censuit. — Ceterum Veneti verba ὁ μὲν ἀξιωματικὸς καὶ αὐθάδης (III C a) Aldina (II C a) illu-

---

1) cf. Hesychium s. v. βαυκίδες et quae seqq. (ed. Schmidt I, 366). Wentzel, Berl. S. B. 1895, 482.

2) Wachsmuth, Stadt Athen II, 466. cf. CGF ed. Mein. V, 1, 481 s. v. ἰχθυοπώλης.

strantur. Unde Strattidis Cinesiae locum quendam hic olim adscriptum fuisse colligas, quo Thrasybulus commemoratus est.

Neutrum locum ab interpretibus ex ipsis fabulis sumptum esse credas, sed ex opere aliquo περὶ κωμῳδουμένων, cuius generis Herodis Cratetei et Ammonii Aristarchei in scholiis nostris latere constat[1]). Quorum librorum de structura quae Leo[2]) protulit, verisimillima sunt: locos, quibus homines κωμῳδούμενοι perstringebantur, singulos allatos et, quae digna videbantur, illustrata esse. Annos, quibus singulae comoediae actae sint, ad eos semper sub singulis nominibus adscriptos fuisse credibile non est, primum quod ex didascaliis facili opera colligi poterant, deinde quod eis locis, quos ex eiusmodi libris sumptos esse apparet anni semper omittuntur[3]). Itaque fieri poterat, ut illos libros suum in usum converteret is, qui tempora fabularum omnino non curaret. — Ne tamen vestigia grammaticorum eorum, a quibus falsam sententiam defendi intelleximus, temere neglegamus, quid illos hoc loco fecisse verisimile sit, quaeratur. Per se ne ei quidem facere poterant, quin primum quidem de Thrasybulo Stiriensi et de Dionysio tyranno cogitarent. Sed cum homines historiae non imperitos eos fuisse experti simus (cf. scholl. vv. 385, 1146), Dionysii tyranni anno 408 Athenis ne nomen quidem auditum fuisse eos scivisse credibile est[4]). Itaque fortasse alium quendam Dionysium hominem ignotum a poeta commemorari eis visum esse conicere licet. Quid? Nonne maior pars hominum, qui in comoedia illudebantur, antiquis grammaticis ignota erat? Sed Thrasybulum Stiriensem anno 408, cum iam ante id tempus saepius res bene gessisset[5]), commemorari potuisse apparet.

Et a Ludwigio p. 72 et a Polakio p. 174 scholia II et III grammaticis errantibus vindicata sunt. Quae sententia specie quadam carere non videtur, cum praesertim Polakius

---

1) Schneider, de Aristophanis scholiorum fontibus p. 92 seq.
2) Göttinger Nachrichten 1904, 259.
3) cf. scholl. Plut. 179. Vesp. 1239. Av. 1297.
4) cf. Diod. Sic. 13, 91 ex Timaeo. E. Schwartz, RE V, 685.
5) Kirchner, prosopographia Attica I, 476 nr. 7310.

Ludwigii libellum haud scio an ignoraverit. Ratio utriusque haec est: in scholio VB, quod nunc solum tractandum restat, Didymi sententiam latere; argumenta ab eo prolata esse ea, quae scholiis II, III continentur. Tamen eo differt Polak a Ludwigio, quod ille Didymum primum putasse Plutum traditam anno 408 actam esse censet, Ludwig, cum omnes interpretes antiqui illam sententiam defenderint, hoc loco Didymum primum, quae discordia interpretationem rectam inter et Pluti annum a se creditum interesset, detexisse putat. — Ac Polak ne conatus quidem est argumenta proferre, quibus a se iure illa scholia coniungi verisimile esse demonstraret. Contra Ludwig vestigia Didymi in scholiis C se invenisse profitetur. „Abducunt enim teste M. Schmidtio fere omnes eae explicationes ad Didymum auctorem, quibus aut similes aliorum poetarum locos inspicere iubemur, aut ea, quae ad versum explicandum afferuntur, coniectura tantum inventa esse monemur.“ Haud scio an Schmidtii librum Ludwig parum sedulo legerit, quoniam verba ea, quae p. 289 leguntur non intellexisse videtur. Ubi quamquam est: „primum igitur quos alios aliorum poetarum locos inspicere iubemur, ii omnes ad Didymum nos sponte abducunt,“ tamen ex exemplis Schmidtii colligas loqui eum de commentariis Didymi Pindaricis, Cratineis, Eupolideis, Menandreis, ad quos interdum delegamur. Alterum argumentum Ludwigii sumptum videtur esse e Schmidtii verbis p. 287, ubi de schol. Plut. 1037 verba facit: „Atque haec profecto redolent Didymi ingenium, qui in re incerta nihil discernere ausus, dum inscitiam suam ingenue confitetur, quid decessores loco illustrando attulerint, adnotasse satis habet.“ Eiusmodi argumenta in ea de qua nos agimus re nihil valere apparet. Ac verbum μήποτε ne ipsum quidem, quo confisus Schnee[1]) plura illi grammatico vindicare conatus est, ad ea, quae Ludwigius vult, demonstranda valet, quoniam illud propter utilitatem a scholiastis quoque adhibitum esse constat. Denique Ludwigius demonstrare studuit ea, quae in schol. C de Thrasybulo legantur, ut in Stiriensem

---

1) Beiträge zur Kritik der Aristophanesscholien. cf. Egenolff, Burs. Jahresber. 46, 164. Zacher, Burs. Jahresber. 71, 78. Holzinger, Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1880, 593.

non conveniant, ita in Collytensem optime convenire. Quam opinionem Meiners p. 227 recte refutavit.

Iam vero tractandum est scholium B ipsum in Aldina tantum traditum: μᾶλλον δὲ ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολλυτέως ἀδελφὸν ἔγγιστα συγγενείας εἶναι. καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον. Cuius pars prior quamquam non in singulis, tamen in universum perspicua est. Grammaticus ille Thrasybulum Collytensem eiusque fratrem ab Aristophane exagitari putavit. Sed quid sibi velint verba ἔγγιστα συγγενείας obscurum est. Hemsterhusius, quem secuti sunt Schneider, Schmidt, Ludwig, Meiners, Polak[1]), coniecit ἀδελφὸν <ἢ> ἔγγιστα συγγενείας εἶναι, quod omni probabilitate carere mihi videtur. Verum enim intellexisse puto Dobraeum, cui dubitanter adstipulatus est Dindorf; quamquam rem non absolverunt, cum censuerunt, verba ἀδελφὸν ἔγγιστα συγγενείας εἶναι esse scholium versus praecedentis οὔκουν δήπου τῆς πτωχείας πενίαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν: ita ut corrigendum esset ἀδελφήν· ἔγγιστα συγγενείας εἶναι. Sed ἔγγιστα συγγενείας glossema marginale verbi ἀδελφήν olim fuisse arbitror. Quod cum in dextra margine iuxta verbum suum esset, ubi scholium, de quo agimus, ipsum quoque legebatur, a scriba incauto, cum a verbo ἀδελφόν in hoc occurrente non alienum esset, in scholia receptum est. Itaque initium scholii hoc modo fortasse scribendum est: μᾶλλον δὲ ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολλυτέως ἀδελφὸν εἶναι. A quo diversa glossa: ἀδελφήν] ἔγγιστα συγγενείας.

Verba, quae sequuntur adeo corrupta sunt, ut veram genuinamque formam eorum unquam inventum iri sperari non possit: καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον. Imprimis verba ἐν τῇ Ἰλιάδι a nullo adhuc intellecta sunt. Quare Dindorfius ex schol. v. 589, ubi legitur (356b 22 Dr.) καὶ κύριον Ποδαλείριος, οἱονεὶ ἀνθηρόπους, ἢ διατρίβων ἰατρικῶς περὶ τὰ λείρια· περὶ οὗ καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι· κτλ. ea huc irrepsisse putavit, Schmidtius vitii cuiusdam ex re palaeographica nati memor, quod e. g. in Odysseae cod. Q ϑ 224 occurrit[2]), scripsit καὶ

[1]) Schneider, de Aristophanis scholiorum fontibus p. 14. Schmidt, Did. fr. p. 290. Ludwig p. 74. Meiners p. 228. Polak p. 175.

[2]) cf. Gaisford, ed. Hesiod. p. 94. Bast in Schaeferi editione Pluti Hemsterhusiani p. XLI. Meineke, anal. Alexandr. p. 184 a. 1.

Ἀπολλώνιος σαφέστερον οἶδεν [ἢ] κατά (γε) Δίδυμον[1]. — Equidem, in re desperata si quid sentiam interroges, elocutione scholiorum observata scribam:

μᾶλλον δὲ ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολλυτέως ἀδελφὸν εἶναι. καὶ[2] ἐν τῷ δεῖνα δράματι[3] <Ἀριστοφάνης[4]

. . . .> σαφέστερον οἶδεν[5]

ἢ κατὰ <. . . .

οὕτω> Δίδυμος.

Eo magis dolendum est verba huius scholii tam incerta remanere, quod in eo Didymi nomen servatum est, a quo falsam sententiam defensam esse verisimile est[6]. Ut nunc se habent, quae de Thrasybulo Collytensi eiusque fratre Dionysio cognoscimus, neque Didymone tribuenda sint neque temporis ratione habita prolatane sint, disceptari potest. Thrasybulum enim Collytensem Stiriensis aequalem fuisse nemo nescit; illo vero natu minorem fuisse eum inde colligas, quod in historia Atheniensi anno 407 primum nobis occurrit[7] et, quamquam anno 403 a Stiriensis partibus erat, tamen illo mortuo demum clarus factus est. Itaque eum grammatico illi propter temporum rationem praeferendum visum esse veri est dissimile. Sane magis propter Dionysium tota adnotatio facta esse videtur, cum eius nomen enuntiati subiectum sit. In hoc autem anni 408 sospitatores facere non potuisse, quin offenderent, diximus. Quamquam quominus omnino hanc inter-

---

1) Schmidt, Did. fragm. p. 290. Cuius coniectura quasi certissima utitur Ludwig p. 74.

2) cf. schol. Av. 296 (l. 22 Dr.), 874 (l. 36 Dr.). Vesp. 1239 (l. 32 Dr.). Lys. 313 (l. 5 Dr.), 218 (l. 16 Dr.). Ran. 1093 (l. 11 Dr.).

3) Cum verba ἐν τῇ Ἰλιάδι sensu carere appareat, iam Hemsterhuis, Dobree, Meiners (p. 229), Polak (p. 175) comoediae alicuius nomen olim eo loco fuisse suspicati sunt.

4) Aristophanis nomen modo ponitur, modo omittitur eiusmodi locis. Ubi aliorum poetarum versus adhibentur, nomen auctoris plerumque praemittitur; Aristophanis sequi solet.

5) Versus sunt aut heroici aut tetrametri anapaestici.

6) vide pp. 53 et 92 huius comment.

7) Plut. Alc. 36. Stiriensis iam anno 411 clarus fuit cf. Thuc. VIII, 76, 2; 100, 4; 105, 2.

pretationem eis deberi certe credamus, impedimento est, quod alia quoque de causa apposita esse potest. A poetis enim comicis homines Athenienses commemorari et illudi solebant, praeter quos rarissime aliarum gentium viros claros hic illic in fabulis eorum occurrisse credas. Itaque fortasse vel hoc loco, priusquam ad Dionysium tyrannum confugerent, Athenis Dionysium una cum Thrasybulo aliquo commemoratum quaerere opus esse illis interpretibus visum est.

Itaque Polakio, qui hoc uno loco confisus falsam sententiam Didymo vindicavit, assentiri nequeo, quamquam eam ab illo defensam esse ego quoque puto.

Caput VIII.

De scholl. vv. 115 et 119.

Initio fabulae postquam Plutus confessus est, quis sit quaque de causa caecus inter homines vitam degat, Chremylus ei persuadere studet, ut oculorum lumen sibi restitui patiatur. Principio obscure indicat, quid consilii ceperit; cum Plutus resistat, expresse illustrat his verbis usus (v. 114):

οἶμαι γάρ, οἶμαι, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται,
ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας
βλέψαι ποιήσας. Plut. μηδαμῶς τοῦτ' ἐργάσῃ.
οὐ βούλομαι γὰρ πάλιν ἀναβλέψαι. Chrem. τί φῄς;
Car. ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν ἄθλιος φύσει.
Plut. ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ
πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψειε.

De versibus 119/20 propter rem criticam pauca monere liceat. Codices RVAU consentiunt, nisi quod in rebus minutis differunt; praeterea in cod. V ἂν post πύθοιτ' deest. Quin archetypus codicum nostrorum eam, quam scripsi lectionem, praebuerit, dubium esse nequit. Verba autem difficultatem exhibent magnam. Clara ea quidem sunt, quae τὰ τούτων sequuntur. In oratione enim pedestri hoc modo scribi necesse esset: (ὁ Ζεὺς) τὰ τούτων μῶρα εἰ πύθοιτο, ἐμὲ ἐπιτρίψειεν ἄν. Verbum ἂν ante ἐπιτρίψειε positum non offendit; cf. Meineke, vindiciae Aristophaneae p. 7 (ad. Ach. 313). Sed ἔμ' inter verba condicionalis sententiae ex primaria transpositum ab usu poetae abhorrere videtur[1]). Deinde verbum εἰδώς, quod praecedit, una cum πύθοιτο esse nequit. Alii igitur vv.

---

1) Nihil efficitur exemplis a Bambergio congestis in Fleckeis. ann. 1867, 402 cf. Leeuweni ed. p. 21 adn. crit.

dd. ut vVelsen πύθοιτ' ἄν, alii ut Brunck, Porson, Bamberg, Fritzsche, C. F. Hermann, Leeuwen εἰδώς mutandum esse censuerunt. Lectionem codicum receperunt Bentley et Hemsterhuis hoc modo verba coniungentes: ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ', ἔμ', εἰ πύθοιτ', ἂν ἐπιτρίψειε. Sed si Juppiter, quae imprudenter ab eis facta sint, scit, iterum ea comperire eum dicere absonum est. Coulon in eo, quem nuper de Aristophane conscripsit libello[1]), quoniam coniunctionem εἰ in fine versus collocatam alicubi in Aristophanis fabulis non invenerit (v. Ran. 152 criticis suspectus est), hoc quoque loco tollendam eam esse putat. Ex tragicis autem poetis afferam Soph. O. C. 992

εἴ τίς σε τὸν δίκαιον αὐτίκ' ἐνθάδε
κτείνοι παραστάς, πότερα πυνθάνοι' ἄν, εἰ
πατήρ σ' ὁ καίνων, ἢ τίνοι' ἂν εὐθέως;

Coulon igitur laudat Herwerdenum, qui in Vindiciis Aristophaneis (1906) p. 102 ingeniosam sane et lenem coniecturam protulit, qua litterae vocales paene omnes, consonantes multae servantur:

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰ δρῶντά γ' οὕτω μῶρ' ἐμὲ
πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψειε.

Quamquam ea, quibus offendimur, omnia sublata sunt, tamen ne violentior sit emendatio, verendum est. Primum enim verborum τὰ τούτων μῶρ' κτλ. sensum bonum esse vidimus. Qui cum Pluti ingenio optime congruere videtur, quoniam adeo Iovis timore impletus est, ut non modo oculorum lumen recuperare nolit, sed etiam, ne pro eis, quae Chremylus et Cario dicunt et sentiunt, puniatur, metuat[2]). Deinde quod verbo τούτων a Pluto significantur ei, quibuscum colloquitur, ab usu poetico abhorrere non videtur. In singulari numero eodem modo adhibetur ἄνθρωπος οὗτος e. g. Vesp. 168. Eccl. 811. Plut. 118. ἀνὴρ ὅδε Soph. O. T. 1160[3]).

Ad v. 115 in V R Ald. legitur adscriptum hoc scholium: τῆς ὀφθαλμίας] ἀντὶ τοῦ τῆς πηρώσεως (τυφλώσεως V).

---

[1]) Quaestiones criticae in Aristophanis fabulas, diss. Argentorat. XIII fasc. I (1908) p. 189.

[2]) Quare paulo infra Chremylo iterum verbum ἀναβλέπειν pronuntiante, Plutus (v. 127) ἆ, μὴ λέγ', ὦ πονηρέ, ταῦτ'.

[3]) cf. Bamberg, Fleck. ann. 1867, 403.

ἰδίως[1]) δὲ ὀφθαλμίαν τὴν πήρωσιν τῶν ὀφθαλμῶν φησι διὸ καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ μεταπεποίηται·
τῆς συμφορᾶς ταύτης σε (γε V) παύσειν (παύσει Ald.), ἥ σ' ἔχει[2]).

Ad. v. 119 in V R Ald. legitur: τὰ τούτων] τὰ τῶν ἀνθρώπων πάντα εἰδώς, ἐπεὶ οὐδὲν αὐτὸν λανθάνει. μεταπεποίηται δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ δευτέρῳ.

In utroque scholio laudantur versus quidam, qui in Pluto posteriore legantur. Qui cum in fabula tradita non inveniantur, apparet loqui eum, qui „priorem" se legere censeat. Sumptos autem illos esse ex fabula vere priore credere necesse est. Sed quod de tota falsa sententia statuendum erat, hoc loco repetendum, fieri non posse, ut hic interpres Plutum vere priorem ipse inspexerit, vel, ut magis in universum loquar Plutum ab hac diversam. Itaque si versus Pluti a nostra diversae citantur, non ipsum ex ea sumpsisse illum grammaticum censendum est, sed alicubi allatos repperisse. Propter naturam autem horum locorum usquam citatos eos esse, nisi in commentario aut ad priorem aut ad posteriorem Plutum scripto veri dissimile est. Ex utro igitur sumpsit ille? Ex scholio v. 385 comperimus, quod ex scholl. 173, 179 ipsis quoque colligi poterat, commentarios priorum in fabulam traditam compositos ab eis grammaticis, qui falsam sententiam defenderunt, adhibitos esse. Contra commentarium ullum in Plutum priorem scriptum eis praesto non fuisse ex hisce verisimile fit: Omnes, quos tractavimus versus (173, 179, 385, 972, 1146), in Pluto I defuisse necesse est, quia commemorantur res hominesque, qui anno 408 commemorari nequibant. Nunquam autem inde argumenta arcessuntur, quod in quibusdam commentariis hi illi versus non explicentur, aut explicentur ei, qui in hac fabula non legantur. Vestigium commentarii ad Plutum priorem compositi nullum in scholiis servatis detegi potest[3]).

1) cf. Rutherford, a chapter in history of annotation p. 210. a. 23.

2) ἧς ἔχεις codd. Emendatio Valckenarii probabilissima. Observavit enim illam constructionem adhiberi solere, ubi de affectibus animi et corporis agatur cf. Soph. fr. 867. Eur. Hec. 970. Or. 1255. Arist. Vesp. 9. Lys. 845. Ach. 454, 361. Thes. 484.

3) Scholia Pluti tradita ex scholiis prioris et posterioris fabulae commixta esse censebat Fischerus cf. Beck-Dindorf, commentaria I p. 65.

Scholii 115 auctor inde, quod in altero versu ὀφθαλμία est, in altero συμφορά, collegit Aristophanem propter catachresin, quae dicitur, verbi ὀφθαλμία in Pluto posteriore versum mutavisse. Vanam esse hanc ratiocinationem Leeuwen et alii vv. dd.[1]) intellexerunt. Quamquam versum in scholiis traditum ab Aristophane alienum esse vix recte Leeuwen putavit. Quominus enim de varia lectione in quodam codice huius Pluti agi credamus, impedimento est verbum μεταπεποίηται, quod comparandum est cum verbo μετενήνεκται scholiorum 173 et 1146. Quattuor hos locos una atque eadem ratione adhibita explicandos esse apparet[2]), quoniam omnibus non solum fabula tradita prior esse putatur, quod in scholl. 385, 972, 179 quoque fieri videmus, sed etiam de posteriore ut ab ea diversa quaedam praedicantur. Quare de eis quoque tacere praestat, qui ut Leeuwen et Ludwig (p. 91) versum illum ex interpretamento originem duxisse credunt. — Quod vero versus languet[3]), contra Aristophanem non valet: Homerus quoque interdum dormitavit. Sed quo melius intellegatur, ratiocinationem grammatici illius stultissimam esse, quid sit ὀφθαλμία colligas ex Plat. Gorg. 496a νοσεῖ που ἄνθρωπος ὀφθαλμούς, ᾧ ὄνομα ὀφθαλμία cf. Xanthias quomodo veniam petat a Charone, quod apud Arginusas non pugnaverit: Ran. v. 193

μὰ τὸν Δί' οὐ γὰρ ἀλλ' ἔτυχον ὀφθαλμιῶν.

Quodsi igitur Chremylus Pluto caeco se eius lippitudinem sanaturum esse promittit, apparet Aristophanis admodum lepide dicto aures Atheniensium permulsas magis quam laesas esse. Humilitas enim vel ταπείνωσις a rhetoribus quoque ad risum movendum commendatur cf. Quint. 8, 3, 48 humilitas . . . „qua rei magnitudo vel dignitas minuitur, ut . . (sequitur exemplum). Cui natura contrarium, sed errore par est, parvis dare excedentia modum nomina, nisi cum ex industria risus inde captatur." Festivissimum igitur versum deletum esse, ut languidior aliquis substitueretur, quis credat? Immo priorem

---

[1]) Leeuwen p. IV. C. F. Hermann, Ges. Abh. p. 45. Fritzsche, quaest. Aristoph. p. 174.

[2]) cf. Gröbl, die ältesten Hypotheseis zu Aristophanes. Prgr. Dillingen 1889/90 p. 35 adn.

[3]) Thiersch, ed. proleg. p. CDLXVI.

hunc, posteriorem illum fuisse suspicio nascitur, ita ut res possitne per contrarium eorum, quae in scholiis leguntur, explicari videndum sit.

Tamen quaeratur nunc, utrum versus 115 et 119 semper in ea fabula fuerint, in qua nunc leguntur, necne. Excogitari enim potest id, quod Kusterus[1]) dixit: „Si standum est auctoritate veteris scholii, versus hos duos 115 et 119 oportet esse ex priore Pluto, quippe poeta eo scholio teste in posteriore emendaverat et immutaverat.“ Quodsi res ita se habet, ut Kusterus putat, quis unquam ex fabula tradita versus genuinos eicere eosque, qui nunc leguntur, inserere potuit, nisi qui eam priorem esse putavit? Nemo enim nisi insanus fabulae ulli eos versus inseret, quos ab ea alienos esse scit. Simplicior autem esse et eis, quae de versus 115 et in libris et in scholiis traditi pretio diximus, magis respondere videtur alia ratio: a grammatico illo versus 115 et 119 ibi inventos esse ubi nunc sunt; in commentariis vero, quos habebat, haec fere fuisse ad v. 115 adscripta: οὗτος ὁ στίχος ἐν προτέρῳ Πλούτῳ· τῆς συμφορᾶς ταύτης σε παύσειν, ἥ σ' ἔχει; similia ad v. 119. Sed cum sibi persuasum haberet, priorem esse eam fabulam, quam ipse tractaret, grammaticos vero priores ut in ceteris versibus explicandis in hoc quoque erravisse, versus illos in posteriore esse eum censuisse. Quam opinionem veram esse insuper eo confirmari arbitratum eum esse, quod cur versus inter se differrent intellegere sibi videbatur[2]). — Commentariorum auctores, quos fabulam traditam posteriorem esse scivisse vidimus, plura de Pluto vere priore cognita habuisse quam ei, qui errore illo implicati erant, certum est. Quosdam ex eorum numero priorem ipsam inspexisse quominus credamus, nihil impedit, neque necesse est cum Ludwigio (p. 101) sumere, eos versus, qui in schol. Ran. 1093 ex ea afferuntur, ante Alexandrinorum tempora descriptos esse. Quid? Euphronii ipsius opera factum esse, ut servarentur, suspicio nascitur. Liceat

---

[1]) Eadem est sententia Brunckii, Fischeri (cf. Beck-Dindorf l. c. pp. 2, 65.) Ritteri p. 54., Hemsterhusii p. 39, Brentanonis p. 113.

[2]) vv. 115 et 119 semper in fabula tradita fuisse censuerunt Bamberg, Fleck. ann. 1867, 402. Fritzsche, quaest. Aristoph. 174. Thiersch, ed. p. CDLXVI.

totum locum apponere. Dionysus hoc modo Aeschylum alloquitur (v. 1089 seqq.):

μὰ Δί' οὐ δῆθ', ὥστε γ' ἀφηυάνθην
Παναθηναίοισι γελῶν, ὅτε δὴ
βραδὺς ἄνθρωπός τις ἔθει κύψας
λευκός, πίων ὑπολειπόμενος,
καὶ δεινὰ ποιῶν· κᾆθ' οἱ Κεραμῆς
ἐν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
γαστέρα, πλευράς, λαγόνας, πυγήν·
ὁ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλατείαις
ὑποπερδόμενος
φυσῶν τὴν λαμπάδ' ἔφευγεν[1]).

Ad verba κᾆθ' οἱ Κεραμῆς in cod. V hoc scholium adscriptum legitur: οἱ τὸν Κεραμεικὸν οἰκοῦντες· δῆμος δὲ Ἀθηναίων· ἐκεῖ γὰρ ὁ ἀγὼν ἤγετο· καὶ ἐν Πλούτῳ πρώτῳ· „τῶν λαμπαδηφόρων τε πλείστων αἰτίαν τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν.“ τοῦτο δέ, φησὶν Εὐφρόνιος, ὅτι ἀπὸ (ἀγομένου Kust.) τοῦ ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἀγῶνος τῆς λαμπάδος καὶ (ἔθος ἦν Kust.) τοὺς ὑστάτους τρέχοντας ἀπὸ (del. Kust.) τῶν ἀγοραίων (δρομέων Kust.) τύπτεσθαι πλατείαις ὑπὸ τῶν νεανίσκων χερσί. καὶ λέγονται αἱ τοιαῦται Κεραμεικαὶ πληγαί. Strecker, qui Euphronii fragmenta congessit, (p. 44) huic scholio subscripsit: „fragmentum ex priore Pluto post vocem χερσί inserendum esse arbitror“. Putavit ergo Euphronium ad suam Ranarum loci interpretationem confirmandam Pluti prioris versus illos attulisse. Et profecto quamquam, utrum Euphronii verba ad Ranarum an ad Pluti locum illustrandum concepta sint, hodie disceptari nequit, quin hoc fieri possit, nemo dubitabit.

---

[1]) cf. Wecklein, Herm. 1873 (7), 437. A. Körte, Archaeol. Jahrb. 1892 (7), 149. Reisch, österreich. Jahreshefte 1898 (1), 91.

Caput IX.

De scholl. vv. 171, 329/30. 277/8, 972, 1166.

Initio quarti a. Chr. n. saeculi Athenis sortitionis iudicum novam rationem[1]) incohatam atque mercedem ecclesiasticam unius oboli ab Agyrrhio institutam et mox duobus auctam[2]) esse scimus. Utriusque rei in Ecclesiazusis et in Pluto saepius mentio fit.

I. Atque quid in sortitione iudicum novatum sit, supra breviter descriptum est, scilicet singulas iudicum decurias litteris A, B, Γ . . brevitatis causa significatas — unde γράμματα vocabantur — cotidie singulis iudiciis per sortem attributas esse, cum Vesparum temporibus totum per annum eaedem in eisdem iudiciis munere fungerentur. Commemoratur[3]) autem res tribus Pluti locis. Quorum primus est in colloquio Carionis servi procacis et chori agricolarum pauperum. Senes decrepitos baculisque innitentes ludificans ille sic alloquitur (v. 277)

> ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὸν τὸ γράμμα σου δικάζειν·
> σὺ δ' οὐ βαδίζεις; ὁ δὲ Χάρων τὸ σύμβολον δίδωσιν.

Ioci, quibus ut de morte cogitare quam aliud quid agere aliquis malit, suadetur, apud Aristophanem saepius occurrunt, ubi hominibus iuvenibus cum senibus vetulisve mulierculis res est. cf. e. g. locum Lysistratae, quo femina cognominis probulum cavillata corona vittisque ornatum sic alloquitur (v. 605):

---

1) vide p. 14 huius comment.

2) Aristotelis resp. Ath. 41,3.

3) cf. Eccles. 682 seqq.

τοῦ δεῖ; τί ποθεῖς; χώρει 'ς τὴν ναῦν·
Χάρων σε καλεῖ
σὺ δὲ κωλύεις ἀνάγεσθαι.

cf. Eccl. 905. Plut. 1007.

Eo, de quo agitur, loco ille iocus cum altero ad sortitionem iudicum pertinenti coniunctus est. Cario igitur choro dicit: decuriae, cui adscriptus es, hodie sortito obvenit, ut in capulo iudicaret — quasi capulus in eorum aedificiorum numero sit, in quibus iudicia dari soleant — neque tamen tu eo contendis[1]. Deinde quasi, ut contendat, magis impellere velit, eum tesserae (σύμβολον) commonet, quae intrantibus in iudicium dabatur, ut, postquam officium praestitissent, illa reddita mercedem acciperent.

De altero loco (v. 972)

ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι;

in capite II. amplius dictum est.

Denique sub finem fabulae Mercurius a Iove propter victus inopiam missus advenit et a Carione salutatur. Postquam frustra magna minatus est, servo ministeria sua offert, dummodo habeat, quod edat. Et ut, quam idoneus utilisque sit, demonstret, cognominum suorum Carionem commonefacit; vocatur enim Ἑρμῆς Στροφαῖος, Ἐμπολαῖος, Δόλιος, Ἡγεμόνιος, Ἐναγώνιος. Ille tandem deum in domum recipit, cum adicit:

(1164) ὡς ἀγαθόν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν·
οὗτος γὰρ ἐξηύρηκεν αὑτῷ βιότιον.
οὐκ ἐτὸς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμὰ
σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν.

Quibus versibus consuetudo quaedam rei iudicialis commemoratur, quae ipsa quoque initio quarti saeculi erat. Cum bello Peloponnesiaco tot homines mortem obiissent, ut singulis decuriis tantus numerus iudicum, quanto opus erat, attribui non posset, iudicibus concedebatur, ut pluribus decuriis sese adscribi iuberent. Quo factum est, ut, si quis velut decuriis A et E adscriptus erat, cum decuria A quodam die iudicium dare non sortita esset, in decuria E munere functus τριώβολον

---

[1] De particula δέ per anacoluthiam, quae dicitur, insertam cf. Schoemann, opusc. I, 209, qui totum locum accuratissime tractavit.

accipere posset, rursus ubi alio die collegium E spe sortis exciderat, γράμμα A iudicaret.

In scholiis eis, quae ad v. 277 adscripta leguntur, quomodo sortitio iudicum non Pluti temporibus, sed Aristotelis facta sit, narratur[1]). Sumpta enim sunt verba illa turbatissima ex Aristotelis rep. Ath. 63, 4, ubi a philosopho quomodo res suis temporibus se habeant, describitur[2]). Ratio tum observata ea erat, ut cotidie omnes decuriae ius darent. Neque tamen omnes, qui eis adscripti erant iudices, munere fungebantur, sed quotusquisque eligendus esset, sorte constituebatur. Denique non singulis decuriis tribunalia complebantur, sed ex omnibus mixti iudices sedebant in singulis foris. In scholl. 972, 1166 partim eadem ex schol. 277 hausta leguntur, partim disertis verbis ad illud scholium delegamur. Talem errorem committere poterat, quicunque Aristoteles quo de tempore loqueretur, nesciebat, dummodo de sortitione iudicum cogitari sibi persuasum haberet. Contra eum, qui „priorem“ Plutum legerit, ad v. 972 adnotavisse vidimus γράμμα illud non de iudicum sortitione, sed de senatorum nova sedendi ratione anno Glaucippi instituta intellegendum esse. Non sine causa ad v. 972 ipsum ille haec adscripsisse videtur. Ex tribus enim locis, hoc uno verbum δικάζειν non legitur. Unde sequitur, quamquam quin omnibus de eadem re verbum γράμμα usurpatum sit, ab homine bonam sanamque rationem sequente dubitari non potest, ab illis interpretibus negatum esse. Dolendum igitur est, quod interierunt, quae de illis versibus dixerunt, neque operae pretium erit tempus consumere coniectando, quid eis fecerint.

II. In Aristotelis rep. Ath. cap. 41, 3 legimus senatum aegre tulisse, quod contiones desertae essent. Itaque πρῶτον μὲν Ἀγύρριος ὀβολὸν ἐπόρισεν, μετὰ δὲ τοῦτον Ἡρακλείδης ὁ Κλαζομένιος ὁ βασιλεὺς ἐπικαλούμενος διώβολον, πάλιν δ' Ἀγύρριος τριώβολον. Quoniam in Aristophanis Ranis illius mercedis mentio non fit, in Ecclesiazusis et Pluto fit, non multo post Euclidis archontis annum instituta esse videtur. In Ecclesiazusis autem in vv. 183, 292, 308, 380, 392 respicitur. In

1) cf. Lipsius, attisches Recht I, 145. Bruck, Philologus 1893 (52) p. 403 a. 1.

2) Lipsius, Sächsische Sitzungsberichte 1891 p. 60 a. 1. Bruck, l. c. p. 395.

Pluto primum commemoratur in v. 125, ubi Chremylus Plutum sic alloquitur (124):

οἴει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα
καὶ τοὺς κεραυνοὺς ἀξίους τριωβόλου
ἐὰν ἀναβλέψῃς σὺ κἂν σμικρὸν χρόνον;

τριώβολον utrum ad contionem an ad iudicia pertineat, non dicitur. Utriusque mercedis eis, qui hos versus audiebant, in mentem venisse crediderim. Anno 408 autem neutram fuisse constat. Secundum enim legem a quadringentis anni 411 sanctam iudicialis quoque merces sublata est, id quod ita probatum est, ut ne populi imperio quidem restituto mutaretur. Contra Cleophonte auctore inde ab anno 410 cotidie διωβελία dispensabatur. Anno 406 merces iudicialis restituta est, siquidem v. Ran. 141 (ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ) ad eam pertinet[1]). Anno 408 igitur τριώβολον ad certam ullam institutionem spectare potuisse nescimus. Grammaticos eos, quorum vestigia quaerimus, in eo offendisse ideo non sperabis, quod quid poeta dicere velit, apparet, sive in verbo τριώβολον certum aliquid latere credis sive non credis. In scholiis v. 125 verbum κεραυνός tantum illustratur, de triobolo nihil dicitur.

In eis, qui sequuntur, versibus Chremylus et Cario, ut caecitate se liberari patiatur, Pluto demonstrant a pecunia omnia pendere, pecuniam ab omnibus peti. Persarum regem propter divitias superbire, contiones ipsas Athenis mercedis accipiendae causa fieri (v. 171):

ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον (i. e. Plutum) γίγνεται;

Denique Plutus paret. Cario mittitur, ut amicos domini advocet, dum deus cum Chremylo in domum intrat. Chorus advenit et post canticum a domino ipso consalutatur. Qui ab amicis, ut sibi adsint deo mederi studenti, petit. Respondent illi: stultitiae esse Pluto deo ipso frui aliis concedere eos, qui exiguae mercedis accipiendae causa in contione trudi premique se patiantur (vv. 328—331):

θάρρει· βλέπειν γὰρ ἄντικρυς δόξεις μ' Ἄρη.
δεινὸν γὰρ εἰ τριωβόλου μὲν οὕνεκα
ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τἠκκλησίᾳ,
αὐτὸν δὲ τὸν Πλοῦτον παρείην τῳ λαβεῖν.

---

1) cf. Lipsius, attisches Recht p. 165 a. 105.

Duobus his locis verbis limpidissimis de ecclesia et mercede ecclesiastica agitur. Sed in scholiis ad utrumque servatis paene omnibus, quasi iudicia mercesque iudicialis commemorentur, verba fiunt.

Scholia, quae quidem innotuerint, describere necesse est.

v. 171. *R. Ald. Suid.* (s. ἐκκλησία): (ἵνα πόρον εὕρῃ χρημάτων om. R. Suid.) ἐκκλησιάζομεν γὰρ ἢ τῶν ἰδίων τι σῶσαι βουλόμενοι ἢ τῶν ἀλλοτρίων τι σφετερίσασθαι· διαβάλλει δὲ τὸ ἐπὶ φιλοδικίᾳ (φιλονεικίᾳ Ald.) τῶν Ἀθηναίων τριώβολον.

V. διώβολον γὰρ ἐδίδοτο εἰσιοῦσιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν βουλεύεσθαι περὶ πόρων. διαβάλλει δὲ τὸ φιλόδικον (φιλοδίκαιον cod. corr. Dind.) τῶν Ἀθηναίων.

Dorvillianus Hemsterhusii ἐκκλησία· ἡ συνέλευσις κριτῶν.

Par. 2827 (saec. XV.): ἐλάμβανον γὰρ οἱ δικάζοντες καθ' ἑσπέραν τριώβολον.

vv. 329/30. *Ald.* ὅτι οὐχ ἵστατο τοῦ δικαστικοῦ ὁ μισθός, ἀλλὰ κατὰ καιρὸν μετέβαλλον. τοῦτο δὲ λέγει, ὥς τινων ἐκ τούτων δικαστῶν ὄντων.

R. Ald. Suid. (s. τριώβολον) *Par. Q.* (2821 saec. XIV.): (ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ om. R. Suid.) οὐδεὶς ἐδίκαζεν, εἰ μὴ ἐπέβαινε τῶν ξ' ἐνιαυτῶν). ὅσοι δὲ τελείας ἡλικίας ἦσαν, εἰσήρχοντο μὲν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, οὐκ ἐδίκαζον δέ. τούτους οὖν τοὺς ἐκκλησιαστὰς ἐποίησαν φανερόν τι λαμβάνειν ἀπὸ τῶν τῆς πόλεως προσόδων οἱ δημαγωγοὶ πείσαντες τὴν πόλιν. ὕστερον δὲ ὁ Κλέων ἐποίησεν αὐτὸ τριώβολον. ἀφῆλιξ δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν οὐκ εἰσήρχετο.

De contionibus, non de iudiciis agi soli auctores partis mediae schol. 171 V et verborum 171 Ald. ἵνα πόρον εὕρῃ χρημάτων intellexisse videntur. In verbis codicis V duae interpretationes haud scio an lateant. Sane verba βουλεύεσθαι περὶ πόρων qui apposuit, iocum poetae non perspexit, quoniam de rebus in contionibus agendis verba facit. Cetera obscura sunt. Nam neque διώβολον neque τριώβολον, ut Blaydesius[1]) vult, in comitium aut iudicium intrantibus dabatur, sed iudicibus, cum in

1) ed. Plut. p. 163.

iudicium, ecclesiastis cum in comitium intrabant, tesseram, quae vocatur σύμβολον, datam esse scimus, qua reddita mercedem accipiebant. — In schol. 171 R. Ald. Suid. verbum ἐκκλησιάζειν idem esse atque δικάζειν apparet ex eis, de quibus agi dicitur: Propria enim bona servari, aliena usurpari solent in iudiciis. — Totius scholii 329 R. Ald. Suid. Par. Q ratio obscurissima est. Quid? In contione populi nemo iudicis munere fungitur, nisi qui sexaginta annos natus est. Athenis ad ullum munus praeter diaetetarum administrandum illo numero annorum opus fuisse nescimus. Praeterea contionum omnium omnes cives inde ab anno duodevicesimo vel vicesimo participes esse poterant; de contionibus eis, in quibus iudicabatur seorsum praescripta non exstabant. Neque de reliquis Graeciae civitatibus talia tradita sunt, qualia hic leguntur. Sed quominus ξ′ corruptum esse credatur, impedimento sunt ea, quae sequuntur. Exponitur enim adultis[1]), quamquam in contionem ire possint, tamen iudicii particibus esse non licere i. e. spectando contentis esse oportere. Vetulis autem sive nondum adultis[2]) aditum contionis non patere. Verborum enim ἀφῆλιξ δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν οὐκ εἰσήρχετο locus genuinus post οὐκ ἐδίκαζον δέ esse videtur. Haec omnia bene inter se cohaerent, quamquam quomodo ad Pluti locum pertineant, non intellegi potest. Fortasse ex rei publicae alicuius — non Atheniensis — descriptione illa huc venerunt.

Verborum, quae sequuntur: τούτους οὖν τοὺς ἐκκλησιαστάς κτλ., sententia aliquam partem similis invenitur in Aristotelis Politicorum p. 1320 a, 22 (p. 218 Immisch) ὅπου μὲν οὖν πρόσοδοι μὴ τυγχάνουσιν οὖσαι, δεῖ ποιεῖν ὀλίγας ἐκκλησίας, καὶ δικαστήρια πολλῶν μὲν ὀλίγας δ᾽ ἡμέρας (. . . . .), ὅπου δ᾽ εἰσὶ πρόσοδοι, μὴ ποιεῖν, ὃ νῦν οἱ δημαγωγοὶ ποιοῦσιν (τὰ γὰρ περιόντα νέμουσιν·

---

1) ἡλικίαν τελείαν esse aetatem adultam constat. cf. Plat. legg. 929 bc. Plut. mor. 680 e: καίτοι τούς γε περὶ τὸν Πόντον οἰκοῦντας πάλαι Θιβεῖς προσαγορευομένους ἱστορεῖ Φύλαρχος οὐ παιδίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ τελείοις ὀλεθρίους εἶναι.

2) cf. Phrynichus p. 157 Ruth., p. 84 Lob. ἀφῆλιξ λέγουσιν ἁμαρτάνοντες οἱ ῥήτορες· τοὐναντίον γὰρ ἢ δεῖ χρῶνται. τὸν μὲν γὰρ πρεσβύτερον ῥητέον ἀφήλικα, οἱ δ᾽ ἐπὶ τοῦ μηδέπω τῆς ἐννόμου ἡλικίας χρῶνται. cf. lexic. Bachmanni p. 171, 11 (= Bekker, anecdota I, 470, 21) unde Suid. s. v. — Phryn. excerpta apud Bekker, anecd. I, 3, 1. Moeris p. 82 Piers. Pollux II, 17 (p. 86 Bethe). Thom. Magister eclog. p. 20, 8 Ritschl. Verbum rarissime invenitur apud scriptores.

λαμβάνουσι δὲ ἅμα, καὶ πάλιν δέονται τῶν αὐτῶν· ὁ τετρημένος γάρ ἐστι πίθος ἡ τοιαύτη βοήθεια τοῖς ἀπόροις) et quae seqq. cf. Polit. p. 1320a 4.

Scholia Ald. 329/30 et verba ὕστερον δὲ ὁ Κλέων ἐποίησεν αὐτὸ τριώβολον ex aliarum fabularum interpretamentis huc traducta a scholiastis esse videntur. Conferas hos locos: scholl. Plut. 329, Vesp. 300, 88, 684, Av. 1541, Eq. 51, Hesych. s. v. δικαστικόν.

In scholiis non raro mercedes ecclesiasticam et iudicialem confusas invenimus. Velut ad verbum τριώβολον in Eq. 51 schol. R appositum est ὡς τοσούτου ὄντος τοῦ δικαστικοῦ καὶ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ. cf. schol. Eq. 1352. Rursus ad Eccl. 302, quamquam aperte de contione agitur, schol. R servatum est: ἔνθα οἱ στέφανοι πλέκονται, ὡς διὰ τὴν εὐτέλειαν τοῦ μισθοῦ δικάζειν μὴ θελόντων cf. schol. Nub. 862. Tamen eiusmodi errores in hoc illo scholio tantum occurrere solent, ita ut a scholiastis aliunde falso translata esse statim appareat. Tantum vero consensum omnium interpretationum, ut recta paene obruta sit, vix scholiastis solis crimini dandam esse dixeris. Fortasse igitur grammatici ei, qui annum 408 defendebant, cum ecclesiastis ante Agyrrhii tempora mercedem pensitatam non esse non ignorarent, a poeta hoc loco verbum ἐκκλησία de iudicio quodam usurpatum esse statuerunt. Verbum enim illud et de loco et de hominibus intellegi posse constat[1]). Sane anno 408 ne iudicialem quidem mercedem fuisse verisimile est; sed cum inde a Cleonis aetate usque ad Aristotelis tempora — quantum scimus — semper pensitata sit, tempus illud singulare facile aliquem fugere poterat.

---

1) cf. RE V, 2163.

Caput X.

De Pluti argumento IV.

In Pluti argumento quarto haec leguntur: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ. τελευταίαν δὲ διδάξας[1]) τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα |δι' αὐτῆς| τοῖς θεαταῖς βουλόμενος τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα[2]). Totum in duas partes dividitur, quarum prior certe, posterior fortasse ex didascaliis anni 388 olim sumpta est. Ex utraque colligi potest, ab Aristophane ipso hanc fabulam doctam esse. Contra Cocalum et Aeolosiconem, quas ab eo compositas esse constabat, ab Ararote doctas esse in didascaliis legebatur. In posteriore parte verba δι' αὐτῆς delenda esse propter vitas Aristophanis (p. XXVIIIa 76 et p. XXVIIIb 36 Dr.) quanquam diu a Porsono, Dobraeo aliis intellectum est, tamen a Leeuwenio retinentur. Glossematis auctor, cum utra ex sententiis antecedenti an sequenti verba καὶ τὸν υἱὸν — βουλόμενος coniungenda essent, postquam dubitavit, illam praetulisse videtur[3]).

In hoc argumento desunt plura, quae in aliis argumentis legi solent. Primum neque quis superior ex certamine discesserit, neque quibus feriis fabula acta sit comperimus[4]). Tertium quoddam a viris doctis adhuc observatum non est,

1) διδάξαι V.

2) καὶ Αἰολοσίκωνα om. V.

3) Meineke, hist. crit. 343. Bergk, in Mein. CGF II. 940. Leeuwen, ed. praef. p. I seq.

4) Gröbl, die ältesten Hypotheseis zu Aristophanes. Prgr. Dillingen 1889/90 p. 24.

quamquam elementum, ut ita dicam, certi generis argumentorum est. Ab Aristophane enim quinquies binae fabulae eiusdem tituli editae sunt: Indices supra[1]) commemorati exhibent binas Aeolosicones, Nubes, Paces[2]), Thesmophoriazusas, Plutos. Ex quibus Aeolosicones interierunt; ex reliquis singulae fabulae servatae sunt. Thesmophoriazusarum argumentum deest. Et in Nubium autem et in Pacis argumentis de fabula altera cognomine exponitur. Atque in Nubium argumento VI legimus: τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ. διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἣν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος κτλ.[3]). In Pacis argumento III est: φαίνεται (V, φέρεται R) ἐν ταῖς Διδασκαλίαις <καὶ ἑτέραν add. Meineke> δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. „ἄδηλον οὖν, φησιν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σῴζεται." Κράτης μέντοι δύο οἶδε δράματα γράφων οὕτως· „ἀλλ' οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν ἢ Βαβυλωνίοις ἢ ἐν τῇ ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ." καὶ σποράδην δέ τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν. Iam vero ex Euripideis fabulis eis, quae servatae sunt, unius Hippolyti antiquis temporibus fuit fabula alia cognominis. In eius argumento quamvis mutilato legimus: ἔστι δὲ οὗτος Ἱππόλυτος δεύτερος <ὁ> καὶ στεφανίας προσαγορευόμενος. ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι[4]).

Qua de causa in Pluti quoque argumento quondam indicatum fuisse exspectaveris, quae ratio inter hanc et cognominem fabulam intercederet. Hoc eo verisimilius est, quod duobus locis versus quidam servatae comoediae citantur ut ex secunda fabula sumpti. Athenaeus IX, 368 d (II, 305 K.): ἀπὸ δὲ τοῦ κωλέα συνηρημένον ἐστὶν, ὡς συκέα συκῆ, λεοντέα λεοντῆ, κωλέα κωλῆ. Ἀριστοφάνης Πλούτῳ δευτέρῳ (v. 1128):

οἴμοι δὲ κωλῆς, ἣν ἐγὼ κατήσθιον.

κτλ. Contra II, 67 d (v. 720), IV, 170 d (v. 1005), VI, 229 e (vv. 812—15), XIII, 592 d (v. 179) Pluti traditae versus ci-

1) p. 2.

2) Post Pacis nomen in utroque littera β' omissa est.

3) cf. Schwandtke, de Aristophanis Nubibus prioribus Diss. Hal. XIV, 119.

4) cf. argumenta Soph. Aiac., O. R., O. C.

tantur praefixo nomine Πλοῦτος sine numero. — Herodianus in schol. Il. Ψ 361 (II, 122, 8 Lentz): προπαροξυτονητέον τὸ μεμνέῳτο· γράφεται δὲ καὶ σὺν τῷ ῑ τὸ ῶ. οὕτω δὲ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἐκ τοῦ μεμνέοιτο ἡγούμενος αὐτὸ εἶναι. παρὰ μέντοι Ξενοφῶντι ἄνευ τοῦ ε̄ ἐστὶν ὁ σχηματισμὸς καὶ προπερισπᾶται ἐν Κύρου παιδείας πρώτῳ (I, 6, 3) „ἀλλ' ὅτε τὰ ἄριστα πράττοι, τότε μάλιστα τὸν θεὸν μεμνῷτο.“ τὸ δὲ ἀνάλογον διὰ τοῦ η̄ προσκειμένου τοῦ ῑ παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ δευτέρῳ (992)

ἵνα τοὐμὸν ἱμάτιον φορῶν μεμνῇτό μου.

κτλ. — Variis modis viri docti explicare conati sunt, quod his locis Πλοῦτος δεύτερος adhibetur, cum priorem illis temporibus superfuisse veri sit dissimile. Ludwigius (p. 110) Athenaei locum ita expediri posse sperabat, ut Athenaeum, a quo Plutum traditam anno 408 vindicatam esse Ludwigium censere consentaneum est, secutum esse diceret „quendam grammaticum, qui de Pluti scenis inter recensionem I et II distribuendis argumentum composuerat, fortasse eundem, qui Nubium argumentum VI conscripsit.“ Quem grammaticum Plutum priorem in manibus tenere sibi visum esse et „omnia enotasse, quae tum alterius Pluti esse intellegebantur“ (p. 128). „Itaque ubi (Athenaeus) versum Pluto simpliciter tribuit, ibi hunc versum etiam in mera Pluto priore exstitisse vel exstare potuisse iudicabat; quem vero secundae Pluto versum assignavit, eum in scena ea legi indicare volebat, quae in Pluto priore nondum fuisse videretur“ (p. 126). Ludwigium suam ipsius rationem persecutum non esse nemo non videt. Si enim Athenaeus priorem fabulam habere sibi visus est, suspicari poterat de eis, quae posteriori vindicanda essent, non poterat de eis, quae „priori“. De hac enim certa se scire putavit! Sed singula sententiae Ludwigianae refutare nolo. Nam quod apud Athenaeum quater Plutus, semel Plutus posterior citatur, inde explicari potest, quod variis ex fontibus sua hausit. Fortasse quoque is, qui opus Athenaei genuinum excerpsit, illo uno loco numerum retinuit, quem ceteris omisit. Quae vero de argumento illo Ludwig suspicatus est, omni probabilitate carent. Tale enim argumentum unquam fuisse ut credatur, duas illas fabulas inter se similes fuisse sumendum est. Neque tamen eam quaestionem moveri necesse esse puto. —

Herodiani grammatici versuum Pluti citandorum rationem eandem fuisse atque Athenaei Ludwig verisimile esse censet, praesertim cum ille huius aequalis fuerit.

Leeuwen de eisdem locis (praef. p. X) haec scripsit: „e quibus locis hoc unum potest effici: inde a secundo post Chr. n. saeculo fuisse, qui putarent duas Aristophanis fabulas — vel duas eiusdem fabulae editiones — olim Pluti nomine designatas fuisse. Recte eos putasse inde non sequitur; plerique autem Aristophanis interpretes Plutum priorem et posteriorem aut ignorarunt, aut non commemorandum putarunt.“ Haec sententia neglegi potest, cum Leeuwenium falso sumere viderimus duas Plutos non fuisse[1]).

Dubium non est, quin difficultates evanescant, si sumatur Athenaeum et Herodianum vel auctores, ex quorum operibus sua hauserint, ex argumento Pluti editioni praefixo cognoscere potuisse hanc fabulam posteriorem esse, sive, quae ratio inter hanc fabulam et alteram illam intercederet, expositum erat, sive ut in Pacis argumento differrentne fabulae ambigebatur. Utrum magnam partem inter se consenserint, an funditus diversae fuerint, deinde utrum Athenaeus et Herodianus auctoresve eorum verbo δεύτερος illos versus in priore deesse indicare voluerint, an id omnino non curaverint, discerni non potest. Neque ad hoc eruendum argumenta sumpta ex citandi ratione velut Nubium Aristophanis apud Athenaeum observata quidquam valere censendum est, ne tum quidem, si meliora essent, quam ea quae Ludwig profert. Nubium enim versus 339 (64f), 455 (94f), 665 (374c), 109 (387a), 122 (467b), fr. 380 (479c) simplici ἐν Νεφέλαις, v. 559 (299b) δευτέραις Νεφέλαις, v. 983 (345f) ἐν Νεφέλαις δευτέραις, v. 1196 (171c) verbis ἐν προτέραις Νεφέλαις praefixis adhibentur. In versibus 559 et 983 argumenti VI sententiam respectam esse apparet, in quo illas partes in fabula acta fuisse negatur. Sed quominus in v. 1196 adhibendo temporis ratione habita ab Athenaeo, quia quae sequuntur exempla ex Pherecratis Agrestibus (Lenaeis 421/20) et Philyllii[2]) Hercule sumpta sunt,

1) vide supra p. 3.
2) vide supra p. 12 seq.

Νεφέλας προτέρας non Νεφέλας nominatas esse credam[1]), eo impedior, quod e. g. III, 94 f propter verbum χορδή leguntur testimonia hoc ordine prolata: Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις (v. 455 seq.), Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ (I, 72 fr. 192 K.), Εὔπολις Αἰξίν (I, 264 fr. 30 K.) κτλ. Cur ne hoc quidem loco ἐν Νεφέλαις προτέραις?[2]) Deinde XIV, 654 b verbi περιστέριον hoc ordine exempla proferuntur παρὰ Μενάνδρῳ ἐν Παλλακῇ (III, 109 fr. 376 K.), Νικόστρατος Ἅβρᾳ (II, 220 fr. 2 K.), Ἀναξανδρίδης ἐν Ἀντέρωτι (II, 138 fr. 7 K.), Φρύνιχος Τραγῳδοῖς (I, 383 fr. 7 K.). Menandrum anno Philoclis archontis (322/1) primum docuisse[3]), Anaxandridem Callea archonte (377/6) primum vicisse[4]), Phrynichum Aristophanis aequalem fuisse constat[5]). Quare cum verbum πρότερος illo loco vix ab Athenaeo primo appositum sit; fortasse ex fontibus suis sumpsit. Is autem, qui primus proposuit, si non ipse fabulam priorem inspexit, fortasse plura, quae in posteriore novata esse non constabat, illi vindicare solitus est.

Perspicua ergo haec videntur esse: Athenaeum et Herodianum vel auctores eorum fabulam traditam posteriorem esse scivisse. Deinde editionis eius auctorem, quae tradita est, eidem sententiae adstipulatum esse. Quis eam confecit? Wilamowitz in Herculis Euripidei editionis prolegomenis p. 179 delectum fabularum Aristophanearum nobis traditum a Symmacho confectum esse exposuit, qui in editione scholarum maxime usum respexerit. Viri docti velut Kaibel[6]), Körte[7]) Wilamowitzio assensi sunt. Nos quidem nihil hoc modo proficimus. Infra[8]) enim demonstrabitur in Symmachi commentario, ex quo scholia fluxisse Schneider evicit, Plutum traditam e ratione anni 408 illustratam esse. Quare si Symmachus Pluti editionem confecit, proprio iudicio eum caruisse credere

---

1) cf. Ludwig p. 115. Buecheler in Fleck. ann. 1861 (83) p. 676.
2) cf. Schwandtke l. c. p. 175.
3) anon. περὶ κωμῳδίας 16 p. 9, 71 Kaibel.
4) mar. Par. ep. 70 p. 186 Jacoby.
5) cf. e. g. Avium arg. I.
6) RE II, 993.
7) Herm. 1904 (39), 496.
8) vide p. 92 huius comment.

necesse est et testimonium rectae sententiae, quod argumentum praebet, antiquioribus temporibus tribuendum est.

Neque vero id quidquam valere negare aut mero casu rectam didascaliam huius fabulae argumento insertam esse cum Ludwigio credere licet. Hic, quippe qui rectam sententiam ab antiquis grammaticis omnino non inventam esse credat, didascaliam a grammatico aliquo minus docto fabulae praefixam esse arbitratus est, qui duarum Pluti recensionum ignarus vel immemor, quae sibi Callimachi et Aristophanis Byzantii libros pervolventi prima obtigisset Pluti didascalia, eam in codicem suum descripsisset (p. 103 seq.). Ad Nubium igitur et Pacis editiones servatas provocat. A grammaticis enim, quorum sententiae in scholiis supersint, illas fabulas aliis annis vindicari atque ab eo, qui didascaliam praefixerit, Nubibus, quamquam fabulam actam a tradita diversam esse sciant interpretes, tamen didascaliam fabulae anno Isarchi (424/3) actae praepositam esse. Pacem autem, quae secundum arg. III anno Alcaei (422/1) acta sit, illustrari e ratione anni Aminiae (423/2). Quae si recte Ludwig exposuisset, ne tum quidem sequerentur, quae ille vult, „hanc (Pluti) didascaliam ad Alexandrinorum de Pluto opinionem cognoscendam pretii omnino nullius esse“ (p. 105). Sed ab omni parte falsa sunt, quae de Pace disseruit, neque ex ullo eorum, quos attulit locorum (arg. III, scholl. vv. 990, 48, 466), colligi possunt, quae ille censuit. In Nubibus autem rem funditus diversam esse ab ea, de qua in Pluto agitur, quivis intellegit. Fabulam actam ab ea quae exstat diversam esse inde ab Eratosthenis temporibus constabat: cf. schol. v. 552. Huius autem, cum acta non esset[1]), didascalia non erat. Is igitur grammaticus, qui actae didascaliam huic fabulae praefixit, tantum abest, ut erraverit, ut disertis verbis fabulae ab hac diversae didascaliam a se proferri profiteatur. Conferas enim has didascalias:

Eq. arg. II. ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια δι' αὐτοῦ Ἀριστοφάνους. πρῶτος ἐνίκα, δεύτερος Κρατῖνος Σατύροις, τρίτος Ἀριστομένης Ὑλοφόροις.

---

1) cf. schol. v. 549 (p. 108a 24 Dr.) ἐπεὶ οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δευτέρων Νεφελῶν . . .

Vesp. arg. I. ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει ὀλυμπιάδι (sic V ἐν τῇ πθ' ὀλυμπιάδι Meineke). δεύτερος ἦν. εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγῶνι, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος.

Pac. arg. I. ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι.

Av. arg. I. ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαρίου διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισιν, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ.

Ran. arg. I. ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια. πρῶτος ἦν. Φρύνιχος δεύτερος Μούσαις, Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι.

Nub. arg. V. αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐν ἄστει ἐδιδάχθησαν ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ. διόπερ Ἀριστοφάνης διαρριφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξαι τὰς δευτέρας κτλ.

Quomodo ratio huius argumenti a ceterorum differat, nemo non videt. In reliquis didascalia ei fabulae, ad quam pertinet, enuntiato primario praefigitur. In Nubium autem didascalia verbo ὅτε adversariorum enumeratio inducitur. Verbi ἐδιδάχθη subiectum, τοῦτο τὸ δρᾶμα sim., in ceteris argumentis omittitur, in Nubium verbis αἱ πρῶται Νεφέλαι ita indicatur, ut priores Nubes ab his diversas esse, nisi aliunde constaret, ex hoc dicendi genere singulari sequeretur. Denique totum illud argumentum ideo appositum esse apparet, ut, qua de causa fabula acta a poeta retractata esset, intellegeretur. Ad illius aetatem indicandam archontis nomen apponi sufficiebat. Neque tamen Aristophanis adversarios addi a re alienum erat, quorum nomina una cum archontis ex didascaliis sumpta sunt. — Exempla igitur, quibus Ludwig in aliis quoque fabulis interpretes, quorum sententiae in scholiis leguntur, aliter de fabulae tempore iudicavisse atque is, qui argumentum antiquum praefixerit, demonstrare vult, mittenda sunt. Iam vero illo modo, quae didascaliae fides sit, omnino intellegi nequit. Nam argumenti et scholiorum in codicibus nostris coniunctorum origines funditus differunt. Argumenta inde ab

Aristophanis Byzantii temporibus, a quo commentarios in fabulas comicas aut tragicas compositos esse neque traditum neque verisimile est, editionibus fabularum praeposita sunt. Quae grammatici cum praefixerunt, quando fabulam actam esse censerent, pronuntiaverunt. De eadem re quomodo iudicarent, commentariorum auctores indicaverunt, cum e ratione huius illiusve anni fabulam illustraverunt. Qui, cum editione aliqua fundamento interpretationis uti necesse esset, si ab eo dissentiebant, qui argumentum praefixerat, in adnotatione ad id composita, quibus de causis falso praepositum esse censerent, in universum exponere poterant, singula ad interpretationem remittentes. De eiusmodi quaestionibus ad totam fabulam spectantibus et in argumento ipso et in adnotationibus ei additis actum esse constat ex clarissimo Rhesi exemplo. Cuius argumentum, quamquam non de tempore sed de origine fabulae agitur, tamen ad hanc quaestionem illustrandam aptum est. Leguntur ibi haec: τοῦτο τὸ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν. Εὐριπίδου δὲ μὴ εἶναι· τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνειν χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς Διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ. Duo hic agnoscuntur grammatici, quorum alter fabulam Euripidis genuinam esse affirmavit, alter negavit. Eiusdem controversiae vestigia in scholiis quoque hic illic servata esse Wilamowitz, de Rhesi scholiis p. 12 demonstravit. Fortasse ad Pluti quoque didascaliam olim, quibus de causis iure eam appositam esse negandum esset, adscriptum erat ab eis, qui falsam sententiam defenderunt, grammaticis.

Non ergo magis falsae sententiae testimonia in scholiis occurrentia quam argumentum didascaliam anni 388 continens testimonia esse videntur digna, quibus et falsam et rectam sententiam antiquitus defensam esse de huius fabulae aetate credatur.

Caput XI.

De vera sententia et de falsa.

Examinata sunt scholia ad complures locos Pluti fabulae anno 388 actae adscripta, quibus maxime homines et res illa aetate florentes commemorantur. Ex interpretationibus interdum, cui aetati a grammaticis fabula vindicata esset, cognosci nequibat, aut quia, ut in aliarum quoque fabularum scholiis fit, interpretatio sive propter tempus (vv. 277, 1166) sive propter rem (vv. 171, 329) aliena apposita est, aut — quod maxime de hominibus commemoratis dicendum est — quia, quo tempore factum id sit, cuius mentio fit, non indicatur. Contra in parte quadam interpretationum dubium non erat, quin illi grammatici Plutum anno 408 actam esse putaverint. Breviter colligamus, quomodo maxime cognita sint vestigia eorum singalis locis:

972. τὸ πρὸ τούτου ἔτος Glaucippi (410/9) esse dicitur.

385. Pamphilum poetam esse Callistratus et Euphronius putaverunt. Quod verum esse negatur, quia in didascaliis ante hunc annum Pamphili ne nomen quidem occurrat.

173 I. Corinthios semper exercitu mercennario usos esse inde cognosci, quod in fabula posteriore idem versus legatur.

II. Eum versum fortasse ex posteriore fabula translatum esse.

1146. Phylem quinque annis postquam haec fabula acta sit, a Thrasybulo occupatam esse.

I. Fortasse a grammatico aliquo eum versum ex posteriore fabula translatum esse.

II. Fortasse a poeta eum versum, postquam illa facta sint, insertum esse.

179. Laidem, anno Dioclis (409/8) cum quattuordecim

annorum puella fuerit, non quasi meretricem claram perstringi potuisse.

115 et 119. Versus hos in fabula posteriore mutatos esse.

Apparet fieri non potuisse, quin eis, qui fabulam aliquam e ratione anni viginti annorum intervallo prioris quam is est, quo vere acta est, interpretari sibi proponerent, multa obsisterent. Homines enim, qui post annum 408 inclaruerunt, facta et instituta, quae post illum evenerunt, eo ipso commemorari nequeunt. Duae igitur rationes adhiberi potuerunt ad opus illud difficillimum perficiendum: Huius illius versus interpretatio alia invenienda erat; ceteros versus a genuina fabula alienos esse credere oportuit. Utriusque adhibitae vestigia nobis occurrerunt. Ac nova quidem interpretatio proponitur versus 972 (γράμμα), qui ad novam iudicum sedendi rationem pertinet. Philochori locus profertur, quo anno 410/09 (Glaucippi) primo senatum secundum litterarum ordinem sedisse fertur. Quam interpretationem, etsi hic versus ea expediri poterat, rectam non esse, qui fabulam accuratius perlegebat, inde cognoscere poterat, quod in vv. 277/8 et 1166/7 ipsis quoque de litteris illis verba facit poeta, cum expresse de iudiciis se cogitare dicat. Ad eandem rationem haud scio an scholii v. 173 pars prior referenda sit, qua exponitur, versum intellegendum esse ὡς ἀεὶ ξενικόν τι ἐχόντων Κορινθίων καὶ οὐχ, ὥς ἔνιοι, κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. — ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ, cuius a poeta mentio fit, non huius fabulae temporibus, sed per amplius aliquod temporis spatium fuisse dicitur. Sane minus adiumentis extrinsecus sumptis versus illustratur, quam, quid ex eo consequatur, exponitur. Sententiae huius quod argumentum affertur, nisi Πλοῦτος δεύτερος ab eo, quid illustretur, diversus esse putaretur, sensu carere intelleximus. Ergo is grammaticus in Pluto ab hoc diverso eundem versum legi scivisse videtur. Neque incredibile est, quoniam de facto notissimo agitur, bello Corinthiaco, in opere aliquo historico aut in commentario ad alium quendam poetam aut scriptorem composito illum versum citatum fuisse. Velut ad Demosthenis locum (IV, 24) in scholiis citatum, quocum apud Harpocra-

tionem quoque coniunctus est, interpretandum diu ante Didymi aetatem adhibitus esse potest[1]).

Alteram rationem deprehendimus primum in schol. v. 173, qui versus ex posteriore fabula translatus esse dicitur. Deinde versum 1146 (Φυλή) aut a grammatico aliquo ex posteriore fabula insertum aut a poeta ipso post annum 403 propter populi reconciliationem compositum esse in scholiis exponitur. Denique ex scholio v. 179 propter eam, quam hodie praebet formam, colligendum esse videbatur, ab illis grammaticis an is versus ex posteriore fabula translatus esset, quaesitum esse. Postquam enim negatum est anno 408 Laidem puellam quattuordecim annorum commemorari potuisse, pergitur anno 390 eam mortuam esse ex Platonis aliqua fabula intellegi. — Utra ratio propter difficultatem in v. 385 (Pamphilus) occurrentem ab illis interpretibus adhibita sit, nescimus. Duae explicationes prolatae esse dicuntur, aut pictorem Pamphilum fuisse aut poetam. Quarum illa refutatur et eo, quod de Pamphili pictoris clarissimi imagine, qua Heraclidarum sors depicta sit, nihil constet, et quod aetate recentior esse videatur, quam ut ab Aristophane commemoretur. Ad hanc infringendam affertur, in didascaliis ante Pluti annum Pamphili ne nomen quidem occurrere.

Quorum locorum hoc omnium commune est, quod interpretum errantium sententia non inde cognoscitur, quod a rectae sospitatoribus impugnatur, sed eum, qui novissimus fabulam interpretatus est, grammaticum ei adstipulatum esse apparet. Falsam unquam refutatam esse indiciis claris non cognoscitur. Neque tamen ab omnibus Pluti interpretibus inde a Lycophrone usque ad Symmachum eam defensam esse, quod Ludwig censuit, et per se credibile est et ex testimoniis luculentissimis intellegi potest. Primum enim argumenti auctor ex didascaliis anni 388 non 408 hausit. Deinde hodie quoque versus 173 in scholio IVA ita illustratur, ut eius auctorem de anno 388 cogitavisse appareat. Leguntur enim haec: μετὰ τὸν πόλεμον τὸν Πελοποννησιακὸν καὶ αὐτοὶ οἱ σύμμαχοι τῶν Λακεδαιμονίων συνεκρότησαν πόλεμον κατ᾽ αὐτῶν κτλ.

---

1) cf. Dielesii praefat. ad Didymi in Demosthenem commentarium, Berliner Klassikertexte I p. XXXIII seqq., maxime p. XL.

Interpretationes eiusdem generis aliorum locorum non inveniuntur. Quamquam enim e. g. in scholiis 550 A factum Thrasybuli clarissimum enarratur, ex nullo certe colligi potest, ab eius auctore hanc fabulam temporibus eo posterioribus vindicatam esse. Is quoque, qui de anno 408 cogitabat, illud commemorare poterat, ut quis ex magno Thrasybulorum numero intelligendus esset, demonstraret. — Plurium locorum interpretatio vera profertur et impugnatur, velut in schol. 173 III, ubi, si verba scholii sequimur, versus eius, qui in „posteriore“ fabula legitur, interpretatio praebetur. Sane propter differentiam lectionum in Aldina et in codice Veneto exstantium dubitare necesse erat, verba ὀρθῶς ἔχει pertinerentne ad hanc fabulam, quoniam verbum ἐκεῖ in cod. Ven. deest[1]). In v. 1146 amnestiam anni 403 commemorari recte in scholiorum initio exponitur, sed eo tempore, quo haec fabula acta sit, eam nondum fuisse adicitur. γράμμα versus 972 ad iudicum sortitionem pertinere in scholiis recte dicitur, quamquam ad Aristotelis remp. Ath. cap. 63, 4 falso delegamur. Ei, qui falsam sententiam defenderunt, quae interpositis verbis οὐ μὴν ἀλλὰ καί sequitur, hunc locum ad senatorum sedendi modum pertinere crediderunt. Sane ex priore illa interpretatione non tam de anno 388 grammaticum cogitavisse, quam, qua de re agatur, intellexisse cognosci potest, cum ex vv. 277/8 et 1166/7, quid verum sit, efficere potuerit. — Denique nonnullis locis, quae sententia recta esset aut rectam unquam fuisse, inde colligendum erat, quod ab interpretibus errore implicatis impugnatur. ἔνιοι in scholio v. 173 commemorati, qui ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ fabulae aetate tantum fuisse censuerant, anni 388 ratione habita sua protulerunt. Difficultas, quae in schol. v. 385 de Pamphilo poeta proponitur, facillime solvitur, si Callistratum et Euphronium de anno 388, eorum adversarium de anno 408 cogitavisse statuitur. — Ceterorum dissimile est scholium v. 1194, ex quo colligitur Lycophronem propter eum locum ab Aristophane primo faces in scaenam prolatas esse censuisse. Cuius sententiae refutandae causa cum Eratosthenes ad Ecclesiazusas provocare videretur[2]), quoniam de temporis ratione

[1]) vide p. 38 huius comment.

[2]) Tamen conferas, quae supra p. 11 exposita sunt.

agitur, sequebatur, eas ante fabulam a Lycophrone nominatam actas esse. Eratosthenem igitur de Pluto anno 388 acta cogitasse verisimile est. Quominus idem de Lycophrone statuatur, impedimento est, quod eius sententiam ex verbis adversarii tantum novimus, a quo ut Lycophronis rationes perspectae non sint, fieri potest. Sane ne hoc quidem prorsus negandum erat Plutum priorem usque ad Euphronii aetatem exstitisse, quoniam eius grammatici nomen in scholio Ran. 1093 cum versibus ex ea fabula citatis arte coniunctum est.

Hi ergo grammatici verae sententiae adstipulati esse videntur: Eratosthenes, Euphronius (Aristophanis Byzantii magister), Callistratus (Aristophanis Byzantii discipulus). Opus multo difficilius est, nomina grammaticorum eorum, qui falsam defenderunt, afferre. Polak p. 175 propter schol. v. 550 VB Didymum in eorum numero fuisse putavit. Scholium illud quidem adeo corruptum est, ut nihil inde colligi possit. Sed quae is v. d. suspicatus est, ea aliis de causis sane verisimillima sunt. Saepius enim diximus in scholiis, qualia nos legimus, in universum falsam sententiam defendi neque usquam eam refutari aut refutatam esse elucere; omnes, quae leguntur refutationes, ad rectam impugnandam pertinent. Itaque in eo commentario, ex quo scholia fluxerunt, rem eodem modo se habuisse verisimile est. Cuius auctorem Symmachum fuisse Schneider in libro celeberrimo[1]) statuit. Symmachum autem totum fere a Didymo pependisse Schauenburg in dissertatione saepius citata[2]) demonstravit. In Didymi commentario in universum falsam sententiam expositam fuisse propter scholium 385 III A quoque suspicari licuit. Cum enim a Didymo priorum ὑπομνήματα ad poetas et scriptores composita eis, quos ipse condidit, commentariis in unum congesta esse verisimile sit, ubi ὑπομνήματα in scholiis citantur, de eo primum cogitamus. Cum illo loco advocentur τὰ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα, quamquam, quid significet hoc ἐπίθετον, non constat, tamen genus quoddam commentariorum demonstrari apparet; unde efficitur plura genera ei grammatico ad manus fuisse. Didymi vestigia teneri eo loco diu viri docti censue-

1) De veterum in Aristophanem scholiorum fontibus 1838.

2) De Symmachi in Aristophanis interpretatione subsidiis diss. Hal. 1881.

runt. In scholii, quale nunc est, magna parte sententiae duae in ὑπομνήμασι illis occurentes refutantur. Quarum altera — Pamphilum tragicum poetam esse — a quo impugnetur, eum in grammaticorum errore implicatorum numero habendum esse putavimus.

Didymus utrum falsam sententiam ex commentariis a se adhibitis cognoverit, an ipse eam invenerit, disceptari nequit. Respectis autem eis, quae ex fragmentis commentarii in Demosthenis orationes compositi didicimus, primum eum Plutum nova ratione instituta interpretandam suscepisse vix quisquam credet. Neque tamen mirum est in eius commentario in universum unam rationem expositam fuisse. Tantopere enim ingenii acie eum caruisse, ut ubique interpretationes inter se repugnantes ex commentariis descriptas eis locis, quibus res hominesque perstringuntur, praeberet, vel per se incredibile est. Neque tamen ab eius indole abhoruisset, interdum ex commentariis veram sententiam defendentibus interpretationes recipere; cf. quae de schol. v. 173 III A et IV diximus[1]).

Quodsi quaerimus, quibus adiumentis falsae sententiae defensores usi esse credendi sint, singulos locos tractantes quid iudicandum sit, intelleximus. Singulis enim, quomodo summa eorum, quae in scholio leguntur, a falsae et quomodo a rectae sententiae vindicibus in suum usum converti potuisset, sciscitandum erat. Plerumque eadem ab utrisque quamvis diversis rationibus adhibitis proferri potuisse intelleximus, ita ut fieri possit, ut posteriores interpretes ex priorum commentariis i. e., quoniam prior recta sententia fuisse videtur, errantes grammatici ex recte iudicantium ea sumpserint. Velut quod in schol. v. 179 Laidem anno 415 septem annos natam et anno 390 teste quodam Platonis loco mortuam fuisse legitur, e ratione anni 388 sequebatur, in hac fabula eam commemorari non potuisse. Quae nunc anno 408 respecto proferuntur, ratiocinatione simplicissima instituta inde effici poterant. Rectae interpretationes versuum 173 et 1146 in utro genere commentariorum locum optimum teneant, apparet. Quae in schol. v. 385 de Pamphilo pictore proferuntur, omnia interpretibus recte iudicantibus deberi possunt. In eodem

---

1) pp. 38, 90.

scholio Callistratus et Euphronius nominantur. Quorum sententiae errantibus grammaticis utrum ex ὑπομνήμασι illis an ex ipsorum libris innotuerint, nescimus.

Sunt vero in eis, quae illi proferunt, quae ut e ratione anni 388 unquam apposita sint, fieri non potest. Quare praeter commentarios priorum alios quoque libros ab eis inspectos esse credere necesse est. In his numerandae sunt didascaliae, quae in schol. v. 385 citantur, cum recta sententia eis adhibitis refutari videatur. Ex eisdem hausta esse possunt, quae in schol. 173 III F de posteriore Pluto viginti annis post priorem acta leguntur, nisi forte in argumento Pluti traditae simile quid olim adnotatum fuit[1]). Deinde autem Philochori Atthidem ab eis ipsam evolutam esse colligas ex schol. v. 1146. Ut enim demonstretur Phylem post annum 408 a Thrasybulo occupatam esse, Philochori quidam locus affertur, quo quinque annorum spatium interfuisse indicatur. Qui quomodo in recte iudicantium interpretum libris legi potuerit, frustra excogitare studebis. In schol. v. 972 ipso quoque Philochorus advocatur, ut γράμμα ibi commemoratum ad senatorum sedendi rationem pertinere confirmetur. Grammaticus a poeta novissimi temporis instituti alicuius mentionem fieri putat. Leeuwen p. XXIII haec verba ipsa quoque olim e ratione anni 388 adscripta fuisse putat. Dicit enim de toto scholio haec: „Vera falsis miserrime commixta. Quod non priscus ille grammaticus deliquit, qui primus allatis Philochori verbis hunc versum illustravit; sed dum exscribuntur, decurtantur, turbantur, quae prudenter ille observaverat, absurda tandem facta sunt. Dixerat ille: „quo tempore data est Plutus, etiam in tribunalibus invaluisse, morem qui teste Philochoro in denis senatorum tribubus sive prytaniis describendis dudum viguisset". Recentiores vero eius verba cum parum intellexissent, inde effecerunt in Pluto fabula respici morem recens natum — nam de re nova sermonem fieri illi quoque sentiebant senatores per γράμματα describendi". Potuit sane id fieri, quod Leeuwen suspicatus est. Neque vero ex eis, quae exposita sunt, Philochorum hoc quoque loco a grammaticis in errorem implicatis ipsum inspectum esse, prorsus negandum est.

[1]) vide p. 80 seq. huius comment.

Quomodo autem factum sit, ut interpretes quidam antiqui sententiae tam pravae obnoxii essent, Leeuwenio ex ipso hoc scholio colligi posse visum est. Pergit enim l. c.: „Qui mos quoniam ἐπὶ Γλαυκίππου (anno 410/09) ortus fuerat, teste Philochoro, sequebatur, ut anno sequenti ἐπὶ Διοκλέους Plutus fabula data esse crederetur. Hinc demirari illi, quod Thrasybuli et Dionysii et belli Corinthiaci in ea fieret mentio et Lais cum annum ageret decimum quartum famosissima diceretur meretrix". Et supra[1]) dictum est et ex his Leeuweni verbis intellegitur Plutum anno 408 actam esse aut unquam duas eius nominis Aristophanis fabulas fuisse eum negare. Quod recte eum non facere apparet. Primum enim in schol. v. 173 Plutum posteriorem viginti annis post priorem actam esse ab eis grammaticis statuitur, quos didascaliis usos esse ex schol. v. 385 constat. Deinde frustra quaerat quispiam, cur ab eo grammatico, qui morem recens natum a poeta commemorari credidit, Plutus non ei anno vindicatus sit, quo ille invaluit, sed anno proximo. Cum fabula anni fine acta esse credenda esset, quae per eum facta erant, in ea perstringi poterant. Alia argumenta supra[2]) allata sunt: Indices fabularum Aristophanearum a Novatio et Zurettio editi, ex quibus cognoscitur, in didascaliis aut in bibliotheca aliqua duos Plutos fuisse. Cum utrique vita Aristophanis praefixa sit eadem atque apud Suidam tradita est, ex onomatologi Hesychiani excerpto eos sumptos esse apparet[3]). Leeuwenium uterque index fugisse videtur[4]). Denique apud Athenaeum et Herodianum Plutum posteriorem, in schol. Ran. 1093 Plutum priorem expresse citatum invenimus. Quibus de causis duas Aristophanis fabulas, quae inscribantur Plutus, olim fuisse certum est.

Quamquam igitur corruit altera pars sententiae Leeu-

---

1) vide p. 3.

2) p. 2 seq.

3) Certiora de huius indicis fontibus adhuc dici nequeunt. Repetam verba Th. Wagneri, symbolarum ad comicorum Graecorum hist. crit. cap. IV p. 30: „quibus ipse auctoribus usus sit Hesychius, si quisquam, unus videatur cognitum habere G. Wentzel, cuius fortasse his de rebus circumspecta et doctissima exspectanda erunt iudicia".

4) cf. maxime Prolegomena ad Aristophanem p. 261 seqq.

wenianae, tamen altera stat. — Grammatici Alexandrini quando fabula aliqua acta esset, ex didascaliis cognoscere poterant. Quodsi fabulae auctor alteri cuidam agendam eam commiserat, difficilius id fuisse, nisi in libris editis disertis verbis indicatum erat, iure dixeris. Sin autem duae eiusdem nominis fabulae unius poetae in didascaliis erant, quaesitum esse, quae facta et qui homines perstringerentur, ut terminus, qui dicitur post quem, statueretur credibile est. Pluti traditi interpretes nonnulli eam consuetudinem ignorasse videntur, quoniam versus eos, in quibus bellum Corinthiacum, Phyle capta commemoratur, a genuina fabula afuisse censent. Unus versus 972 ita ab eis illustratur, ut si verba tantum spectes, interpretatio e ratione anni 408 prolata probari possit, quamquam, accuratius qui inspicit, quin falsissima sit, dubitare nequit. Quare sane mihi quoque arrident, quae Leeuwen coniecit, Philochori loco sive in ipso opere sive in commentariis priorum invento a grammatico aliquo totam fabulam anno 408 vindicatam esse, quo anno Plutum Aristophanis alteram actam esse constabat.

Aliam sententiam protulit Zielinski in libro, quem de compositione comoediae Atticae antiquae scripsit (p. 80). Qui haec exposuit: Es muss auf das Entschiedenste betont werden, dass bei vielen Grammatikern keineswegs das chronologische Verhältnis für die Bezeichnungen πρότεραι (oder α′) (e. g. Θεσμοφοριάζουσαι) und δεύτεραι (oder ἕτεραι oder β′) massgebend war, sondern das gelesene, in den Handausgaben verbreitete Stück das erste und das unzugänglichere das zweite hiess. . . . . So wird es . . auch zu erklären sein, wenn die Scholiasten den verlorenen Plutus als den zweiten bezeichnen. Talem morem unquam fuisse, ut per se veri est dissimile, ita, quae a Zielinskio proferuntur testimonia, nihil valent. Primum enim Nubium vv. 1196—1200 apud Athenaeum 171c citantur his verbis praemissis: μήποτε δὲ καὶ ὃν νῦν καλοῦσι Ῥωμαῖοι προγεύστην, τότε οἱ Ἕλληνες προτένθην ὠνόμαζον, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν προτέραις Νεφέλαις διὰ τούτων κτλ. Qui versus in ea parte fabulae servatae leguntur, in qua Strepsiades filium a Socrate doctrina imbutum domum reducit. Quoniam Phidippidem in Nubibus actis Socratis scholam non frequentasse

Zielinski sibi persuasum habet, illos quoque versus ab eis alienos esse credere eum oportet. Sed quoniam de hac re nihil certi constat, cur Athenaei verbis fidem derogemus, non est[1]). Praeterea si cum Zielinskio (p. 43 a. 4) Athenaeo ipsi illud verbum deberi putaremus, ille scriptor parum sibi constare videretur, qui eandem fabulam modo priorem modo posteriorem (299 b, 345 e) vocet. — Deinde in schol. [Plat.] Axioch. 367 b loci enumerantur, quibus proverbium δὶς παῖδες οἱ γέροντες occurrit: Cratini Δηλιάδες (I, 20 fr. 24 K.), Platonis Νόμοι (646 a), Menandri Χήρα (III, 148 fr. 517 K.), denique Ἀριστοφάνης Νεφέλαις α′ (I, 490 fr. 378 K.) = Nub. servat. v. 1417. Buecheler l. c. p. 676 literam α′ tollendam esse censuit, cum dixit: oder kann jemand einen Grund angeben, warum der alte Grammatiker sich auf die ersten verschollenen Wolken berufen haben soll, da in den zweiten Wolken das Sprichwort gleichfalls gefunden wurde? Equidem cur eam reiciam, non habeo. Repetam enim, quae supra[2]) de Athenaei loco 171 c dixi: fortasse is grammaticus — iam ab Aristotele proverbia collecta esse meminerimus! — aut Nubes priores ipse inspexit aut, si posterioribus tantum usus est, omnia quae in eis novata esse non constabat, illis vindicavit. — Denique Thesmophoriazusarum, quae perierunt, fragmenta quinque ex fabula posteriore sumpta esse dicuntur adhibitis verbis δεύτεραι et ἕτεραι. Unde apparet fabulam servatam priorem esse. Et profecto a Gellio N. A. 15, 20, 7 eius versus 453—56 adhibentur praemissis verbis ἐν ταῖς προτέραις Θεσμοφοριαζούσαις. Ad easdem pertinere videntur, quae leguntur apud Clem. Alex. strom. VI, II, 26, 4 p. 752 P (II, 442 Stählin): Ἀριστοφάνης δὲ ὁ κωμικὸς ἐν ταῖς πρώταις Θεσμοφοριαζούσαις τὰ ἐκ τῶν Κρατίνου Ἐμπιπραμένων μετήνεγκεν ἔπη cf. CAF I, 32 et schol. Thes. v. 215. Tres autem versus ab Hephaestione p. 79 Gaisf., p. 41 Consbr. (I, 480 fr. 324 K.) citantur praemissis verbis ἐν ταῖς προτέραις Θεσμοφοριαζούσαις, qui in fabula tradita non leguntur. Zielinski, qui Gelli et Clementis locos non

---

1) cf. e. g. Schwandtke, de Aristophanis Nubibus prioribus diss. Hal. XIV p. 160. Buecheler, Fleck. ann. 1861, 675. Teuffel-Kähler, ed. Nubb. p. 40. Ceterum vide supra p. 82 seqq.

2) p. 84.

curavit, eo uno loco temporis utriusque fabulae rationem recte indicari censuit, cum quinque illis propter consuetudinem illam obscurata sit. Exiguitate scholiorum eius fabulae eisque, quae de Pluto exposuimus, respectis, simile certamen de Thesmophoriazusis olim fuisse non prorsus negandum esset, nisi δευτέραις pro προτέραις cum Hemsterhusio scribere praestaret.

Neque tamen eam, quam Zielinski a se observatam esse putavit, consuetudinem unquam fuisse ullo horum exemplorum demonstrari potest.

Index.

VITA.

Walther Laible natus sum Karlshuldi in vico Bavariae a. d. IV. Non. Mart. 1884, patre Guilelmo, verbi divini ministro, matre Iulia e gente Waelde oriunda. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam parentes anno 1893 in Saxoniam transmigraverunt, per novem annos scholam Nicolaitanam Lipsiensem frequentavi. Ubi cum multos praeceptores illustrissimos tum Georgium Berlit, virum et doctissimum et humanissimum, optime de me meritos esse semper meminero. Maturitatis testimonium adeptus inde ab anno 1903 almam matrem Lipsiensem adii, ut studiis philologis, archaeologicis, Germanicis operam navarem. Docuerunt me viri docti de Bahder, Bethe, Brahn, Brugmann, Gardthausen, R. Heinze, Hirt, Hofmann, Holz, Immisch, Jungmann, Koester, Lipsius, Marx, Mogk, Schreiber, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth (†), Wilcken, Wundt. Proseminariis philologo Immischii per tria, archaeologico Studniczkae et Germanico Sieversii per duo, Germanico Koesteri per unum semenstre interfui. Seminarii philologi auspiciis Lipsii, Marxii, Bethei, Heinzei et societatis Indogermanicae Brugmanni sodalis fui per bis senos menses, seminarii archaeologici moderante Studniczka per sex, paedagogici moderante Jungmann per septem semenstria. Marx ad exercitationes, quas habuit de re metrica, benigne me admisit. Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas, imprimis vero cum Betheum et Immischium, tum Lipsium et Studniczkam, qui studiis meis favere nunquam desierunt, pio gratoque animo semper colam.

	Dorv; Par. 2827, Par. 2821 (Q).	II. V Θ Ald.	III. V Θ Ald.	IV. V R Θ Ald.	Suid. s. v. διοίσειν
A		ταύτην τὴν ἱστορίαν ἔγραψε Πάμφιλος τραγικός, κατὰ δέ τινας ζωγράφος ἦν, ὃς τὴν τῶν Ηρακλειδῶν τύχην χαρακτῆρι ὑφηγήσατο (sic Ald. pro ταύτην — ὑφηγήσατο scholii infra descripti).	τὸν Πάμφιλον μὲν Καλλίστρατος καὶ Εὐφρόνιος τραγῳδιῶν ποιητήν φασι καὶ διδάξαι Ἡρακλείδας. τὰ δὲ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα διστάζει, πότερον τραγικὸς ποιητὴς ἢ ζωγράφος, ὃν καθηγήσασθαί φασιν Ἀπελλοῦ. περικλυτὸς δὲ ζωγράφος ἦν ὁ Ἀπελλῆς (περίκλυτος — Ἀπελλῆς om. V). ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται (φαίνεται V) τραγικός.	οὗτος τραγῳδοποιός.	. . . καὶ Ἀριστοφάνης· „οὐδὲν διοίσοντ' ἄντικρυς τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου". οὗτος τραγῳδοποιὸς ἐγένετο.
B	ὁ Πάμφιλος οὗτος γραφεὺς ἦν. ἔγραψε δὲ τοὺς Ἡρακλείδας ἱκετεύοντας μετὰ κλάδων ἐλαΐνων ὅτε αὐτοὺς ἐκ Πελοποννήσου ἀπήλασαν. ἱκετηρία δέ ἐστι κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ περιειλημμένος, ὡς Πλούταρχος ἐν Παραλλήλοις [Thes. 18] φησί· καταχρηστικῶς δὲ καὶ πᾶσα ἱκεσία. ἐχρῶντο δὲ ἐλαΐνῳ κλάδῳ, ἵνα διὰ τούτου πρὸς ἔλεον δικαστὰς ἕλκωσι.	Πάμφιλος ζωγράφος ἦν, ὅστις τοὺς Ἡρακλείδας ἔγραψεν ἱκετεύοντας τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον (Πάμφιλος — δῆμον om. V). μετὰ γὰρ (om. V.) θάνατον Ἡρακλέους Εὐρυσθεὺς ἐδιώκει τοὺς Ἡρακλείδας διὰ τὸ πρὸς τὸν Ἡρακλέα τὸν ἐκείνων πατέρα ἐμφύλιον (ἔμφυτον Hemst.) μῖσος. ταύτην τὴν ἱστορίαν ἔγραψε Πάμφιλος ζωγράφος, κατὰ δέ τινας τραγικὸς ἦν, ὃς τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν τύχην χαρακτῆρι ὑφηγήσατο (sic V; cf. verba supra descripta).	γραφὴ μέντοι ἐστὶν οἱ Ἡρακλεῖδαι καὶ Ἀλκμήνη καὶ Ἡρακλέους θυγάτηρ Ἀθηναίους ἱκετεύοντες, Εὐρυσθέα δὲ δεδιότες, ἥ τις Παμφίλου οὐκ ἔστιν, ὥς φασιν, ἀλλ' Ἀπολλοδώρου. ὁ δὲ Πάμφιλος, ὡς ἔοικε, νεώτερος ἦν Ἀριστοφάνους.	ἔγραψε δὲ τοὺς Ἡρακλείδας ἱκετηρίαν ἔχοντας. ὁ γὰρ Εὐρυσθεὺς μετὰ θάνατον τοῦ Ἡρακλέους τοὺς Ἡρακλείδας ἐδίωξε καὶ οὗτοι μετὰ τῆς Ἀλκμήνης παρεκάλεσαν τοὺς Ἀθηναίους, βοηθῆσαι αὐτοῖς, ὅπερ καὶ ἐγένετο. τὰ γ' οὖν συμβάντα αὐτοῖς ζωγράφος τις Πάμφιλος Ἀθηναῖος εἰς τὴν στοὰν τῶν Ἀθηναίων ἔγραψε καὶ αὐτοὺς ἱκετεύοντας· τοῦτο οὖν λέγει, ὅτι οἱ καταδικαζόμενοι μετὰ τῶν παίδων καὶ τῶν γυναικῶν παρακαλοῦσιν ἐλευθερωθῆναι τοῦ ἐγκλήματος (pro παρακαλ. — ἐγκλήματος in Ald.: παρακολουθουσῶν λόγον ὑπεῖχον τῷ ἐγκλήματι, in Θ: παρακολουθούσαις τῷ ἐγκλήματι).	καὶ ἔγραψε τὰ συμβάντα τοῖς Ἡρακλείδαις.

	I. V (G) Ald.	II. V (G) Ald.	III. V (G) Ald.	IV. V Ald.	V.	VI. Ald., Paris. Reg., Dorv.	
F			ὡς ἀεὶ ξενικόν τι ἐχόντων Κορινθίων, καὶ οὐχ, ὡς ἔνιοι (ἰδίως Ald.), κατὰ τὸν χρόνον (καιρὸν Ald.) τοῦτον. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος (ὡς ἔσχατον V, φέρεσθαι. ὁ ἔσχατος Ald.) ἐδιδάχθη ὑπ᾽ αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. εἰ μή, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου (om. Ald.) τοῦτο (om. V) μετενήνεκται (μετήνεκται Ald.). ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει (ἔχει γὰρ ὀρθός V).				
A			ἤδη γὰρ (ἤ. γ. om. Ald.) ὁ Κορινθιακὸς πόλεμος λεγόμενος (om. Ald.) συνέστη τρισὶν ἢ τέτρασιν ἔτεσι (om. V) πρότερον τοῦ Ἀντιπάτρου, ἐφ᾽ (ἀφ᾽ V, ὑφ᾽ Ald. corr. Petitus) οὗ ἐδιδάχθη, καὶ τὸ συμμαχικὸν ἐπανήθροιστο (ἅπαν ἤθροιστο V) ἐν Κορίνθῳ, τὸ δὲ Λακεδαιμόνιον ἐν Σικυῶνι.	μετὰ τὸν πόλεμον τὸν Πελοποννησιακὸν καὶ αὐτοὶ οἱ σύμμαχοι τῶν Λακεδαιμονίων συνεκρότησαν πόλεμον κατ᾽ αὐτῶν, συνέλαβον (συνέβαλλον V, συνέβαλον Ald. corr. Dobr.) δὲ αὐτοῖς Ἀθηναῖοι καὶ ἔσχον τὴν Κόρινθον ὁρμητήριον, εἰς ἣν ἔπεμψαν ξενικὸν στράτευμα. καὶ αὐτοὶ ἔτρεφον αὐτό. τοῦ δὲ στρατεύματος ἦρχεν Ἰφικράτης ὁ στρατηγός.	In cod. V: τούτου καὶ Δημοσθένης ἐν α᾽ Φιλιππικῶν (IV, 24) μέμνηται „ὅτι καὶ πρότερόν ποτ᾽ ἀκούω ξενικὸν τρέφειν ἐν Κορίνθῳ τὴν πόλιν, οὗ Πολύστρατος ἡγεῖτο καὶ Ἰφικράτης καὶ Χαβρίας καὶ ἄλλοι τινές, καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς συστρατεύεσθαι. καὶ οἶδα ἀκούων, ὅτι Λακεδαιμονίους παραταττόμενοι μεθ᾽ ὑμῶν ἐνίκων οὗτοι οἱ ξένοι καὶ ὑμεῖς μετ᾽ αὐτῶν."		Xen. Hell. IV, 4, 1 (postquam Agesilaus ex Asia rediit): ἐκ δὲ τούτου ἐπολέμουν Ἀθηναῖοι μὲν καὶ Βοιωτοὶ καὶ Ἀργεῖοι καὶ οἱ σύμμαχοι αὐτῶν ἐκ Κορίνθου ὁρμώμενοι, Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ οἱ σύμμαχοι ἐκ Σικυῶνος.
E		ὡς τῶν Ἀθηναίων δι᾽ ἑαυτῶν μὴ βουλομένων πολεμεῖν πρὸς Κορινθίους διὰ τὸν κίνδυνον, μισθουμένων δὲ ξένους (Κορινθίους superscr. ξένους V) εἰς τὸν πόλεμον καὶ τρεφόντων αὐτούς. τοῦτο δ᾽ ἐν τοῖς πολλοῖς τῶν πολέμων διεπράττοντο.					schol. Dem. (cod. Bav.) IV, 24 = Suid. s. ξενικόν: οἱ ξενικοὶ μισθοφόροι τὸ παράπαν εἰώθασι χρησιμεύειν ἐν πολέμοις. ὅτι οἱ Ἀθηναῖοι μὴ βουλόμενοι δι᾽ ἑαυτῶν πολεμεῖν πρὸς Κορινθίους διὰ τὸν πόλεμον μισθούμενοι ξένους εἰς τὸν πόλεμον ἔτρεφον αὐτούς. τοῦτο δὲ ἐν πολλοῖς τῶν πολέμων διεπράττοντο, ὅπερ ξενικὸν ἐκάλουν.
C	φασὶ τοὺς Κορινθίους διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπικρατὲς συμμαχίᾳ κεχρῆσθαι τῇ ξενικῇ δυνάμει. (deest in Ald.)				In Ald.: φασὶ δὲ αὐτοὺς ὑφορωμένους Ἀθηναίους ξενικὸν τρέφειν ξυμμαχίας χάριν.	ἢ Ἀθηναίους ἐφοβοῦντο, ἵνα μὴ ὑπ᾽ αὐτῶν δουλαγωθεῖεν, καὶ διὰ τοῦτο ξένους τινὰς ἐν Κορίνθῳ ἔτρεφον ἀσφαλείας ἕνεκα.	
D	ἦν δὲ ὁ καταστήσας ἐν Κορίνθῳ τοὺς ξένους Κόνων ὁ Ἀθηναίων στρατηγὸς καθελὼν Λακεδαιμονίους, ὅπως φυλάττοι τὴν ἔφοδον αὐτῶν.				ἦν δὲ ὁ καταστήσας τοὺς ξένους ἐν Κορίνθῳ Κόνων.		Harp. (Suid. Phot.) s. ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ· Δημοσθένης Φιλιππικοῖς καὶ Ἀριστοφάνης Πλούτῳ· συνεστήσατο δ᾽ αὐτὸ πρῶτον Κόνων, παρέλαβε δ᾽ αὐτὸ Ἰφικράτης ὕστερον καὶ Χαβρίας, ᾧ χρησάμενοι τὴν Λακεδαιμονίων μόραν κατέκοψαν στρατηγοῦντος Ἰφικράτους καὶ Καλλίου, καθ᾽ ἅ φησιν Ἀνδροτίων τε καὶ Φιλόχορος (FHG I, 409 fr. 150.)
B					In R Ald.: τινὲς δέ (om. R) φασιν Κορινθίους ἀδικουμένους ὑπὸ Λακεδαιμονίων συμμάχους πέμψαι Ἀθηναίους, οὓς καὶ ἔτρεφον Κορίνθιοι. Sequuntur in Ald. quae leguntur sub CD.	διπλῶς ᾄδεται ἡ ἱστορία· ἢ ὅτι Κορίνθιοι Λακεδαιμονίους ὑφορώμενοι ἐμισθοῦντό τινας τῶν Ἀθηναίων εἰς τὴν αὐτῶν φυλακήν. seqq. quae supra descripta sunt.	

	I. V R Ald. Θ	II. Ald.	III. V (G)	IV. V Ald.	V. Ald.	VI. Ald.	VII. V Ald.	VIII. Iunt.	IX. Dorv; Par. 2827, Reg. 2821 (Q).	X. R
A	τὰ μὴ ὅμοια φησὶν αὐτοὺς ὁμοιοῦν, ὡς εἴ τις λέγοι Διονύσιον τὸν ἐξώλη τύραννον ἐοικέναι Θρασυβούλῳ τῷ Λίκου (cet. om. R) ἀνδρὶ φιλοπόλιδι (cet. om. Θ) Ald.: καὶ παντὸς κρείττονι λόγου διά τε τὰς ἐπιφανεῖς αὐτοῦ κατὰ τῶν πολεμίων δίκας καὶ διότι κατέλυσε τὴν τῶν λ' τυραννίδα V: καὶ πάντα κρείττονι [λείπει] διά τε τὰς ἐπιφανείσας αὐτοῦ τῶν πολεμίων νίκας καὶ ἐπὶ τῷ καταλῦσαι τὴν τυραννίδα (cet. om. V) εὔπορος γὰρ ὢν καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκπεσὼν μετὰ ταῦτα Φυλὴν καταλαβὼν καθεῖλεν αὐτούς.			ἢ ὅτι ὁ μὲν Διονύσιος τύραννος, Θρασύβουλος δὲ δημοφιλής	ὡς εἴ τις λέγοι· Διονύσιον τὸν ἐξώλη τύραννον ἐοικέναι Θρασυβούλῳ τῷ Λύκου ἀνδρὶ φιλοπόλιδι καὶ παντὸς κρείττονι λόγου διότι κατέλυσε τὴν τῶν λ' τυραννίδα	οἱ Λακεδαιμόνιοι κρατήσαντες τῶν Ἀθηναίων ἔταξαν λ' τυράννους ἀπὸ τῆς πόλεως ἐν Ἀθήναις διατρίβειν. ὁ οὖν Θρασύβουλος ἐραστὴς ὢν τῆς δημοκρατίας κατέλαβε Φυλὴν τῆς Ἀττικῆς μετά τινων ἄλλων, μεθ' ὧν (ἧς Ald. corr. Gelenius) κατέλυσε τοὺς λ'. Διονύσιος δὲ τύραννος ὠμὸς ἐν Σικελίᾳ.	ἢ Διονύσιος τύραννος, ὁ δὲ Θρασύβουλος εὐτελὴς (codd. ἀτελής) καὶ πένης, πλὴν θρασύς.	ἡ Πενία φησὶν ἐν τῷ πρὸς τὸν Χρέμυλον, ὅτι τὰ μὴ ὅμοια ὅμοια λέγεις εἶναι, ὥσπερ ἂν εἰ τὸν Σικελίας τύραννον Διονύσιον ὅμοιον εἶναι λέγοις (suppl. Kust.) τῷ Θρασυβούλῳ ἀνδρὶ χρηστῷ καὶ φιλοπόλιδι	ὁ μὲν Διονύσιος ἦν Σικελίας τύραννος, ὁ δὲ Θρασύβουλος ἀνὴρ χρηστὸς Ἀθηναῖος. ὁρῶν οὖν τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ὑπὸ τῶν τριάκοντα τυράννων, οὓς ἔστησαν οἱ Λακεδαιμόνιοι, τυραννουμένην Φυλὴν καταλαβὼν τοὺς τυράννους λάθρᾳ ἀπέκτεινεν (Φυλὴν μίαν ὑπελθὼν καὶ σὺν αὐτῇ λάθρᾳ τοῖς τυράννοις ἐπελθὼν πάντας ἀπέκτεινεν sic Reg. pro Φυλὴν — ἀπέκτεινεν.) ἥδετο οὖν παρὰ πάντων ὡς Ἀθηναίων εὐεργέτης.	
C a)		μήποτε ὁ ἀξιωματικὸς καὶ αὐθάδης ὡς Στράττις (Στράτις Ald.) ἐν Κινησίᾳ (CAF I, 716 fr. 17).	ὁ μὲν ἀξιωματικὸς καὶ αὐθάδης, ὁ δὲ μαινόμενος καί, ὡς ἔοικεν, ἰχθυοπώλης							ὅτι ὁ μὲν ἀξιωματικος καὶ μέγας, ὁ δὲ μαινόμενος
C b)		Διονύσιος δὲ ὁ μέν τις φαίνεται μαινόμενος. ὁ δὲ, ὡς ἔοικεν, ἰχθυοπώλης.	Πολύζηλος (CAF I, 792 fr. 11) χὸ μαινόμενος ἐκεινοσὶ Διονύσιος | χρυσοῦν ἔχων χλίδωνα[1]) καὶ τρυφήματα | ἐν τῷ μύρῳ παρ' Ἀθηναίων βαυκίζεται[2])				ὅτι ὁ μὲν Διονύσιος ἐμμανής, ὁ δὲ Θρασύβουλος εὔνους (ἄνους codd. corr. Dind.) seqq. quae supra leguntur.			
B					μᾶλλον δὲ ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολλυτέως ἀδελφὸν ἔγγιστα συγγενείας εἶναι. καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον. seqq. quae supra descripta leguntur.					
D				μήποτε δὲ καὶ περὶ τὴν ὄψιν ἀποσκώπτει ὡς ὁμοιούντων (ὁμοιούσης V) σφόδρα ἀνομοίους (ἀνομοίως Ald.)						

1) χραιδόνα codd. corr. Dind. — 2) βαυκαλίζεται codd. correxi post Dind.

Buchdruckerei des Torgauer Kreisblattes G. m. b. H.